DE APOLLODORI ARTAMITENI RELIQUIIS ATQUE AETATE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ARNOLDUS BEHR

Rhenanus.

ARGENTORATI

J. H. ED. HEITZ (HEITZ ET MUENDEL SOCII).

MDCCCLXXXVIII.

PATRIS MEMORIAE

SACRUM.

PRAEFATIO.

Si quis fragmenta veteris scriptoris, cuius scripta temporum iniquitate perierunt, investigare atque colligere sibi proposuit, neque satis habet, ea solummodo, quae servata sunt auctoris nomine allato, collectioni suae vindicare, duae potissimum sunt rationes quaerendi, quibus adhibitis rem prospere cessuram esse sperare possit. Aut enim ita rem instituet, ut profectus a certis illius scriptoris fragmentis similia aliorum scriptorum de iisdem rebus testimonia cum illis comparet, aut ita, ut studium consumat in eruendis omnibus fontibus eorum auctorum, a quibus illum adhibitum esse aut certis testimoniis constat aut propter argumenti similitudinem aliasve causas probabile est. Atque priorem illam rationem qui sequitur, quamquam a facilitate commendatur, magnum tamen periculum est, ne quae fragmenta eum effugiant. In hoc periculum quam plurimum abest ut incidat ille, qui omnes scriptores, quos aut scit aut suspicatur illius vestigia premere, quos quoque loco auctores secuti sint, accurate inquirit. Qui ut ab illo periculo tutus ita multis difficultatibus obnoxius est; saepius enim cogitur aut revocare animos legentium ad ea, quae antea dicta sunt, aut occupare ea, quae deinceps dicturus est. Attamen cum fragmenta Apollodori Artamiteni colligere mihi proposuerim, hanc alteram quaerendi rationem adhibere malim, eo scilicet consilio, ne quae graviora me fugiant. Postquam autem absolvero de fontibus, quos adhibuerit Strabo — nam excepto uno loco

Athenaei apud hunc solum exstant fragmenta Apollodori[1] — in ea geographiae parte, in qua vestigia Artamiteni latere demonstrabo, ea quae eruero fragmenta Parthicorum, colligam atque, quantum necesse erit, illustrabo. Quare tota haec dissertatio ita divisa est, ut primum quidem videamus, qua in parte geographiae Strabonis lateant Apollodorea, deinde eius partis fontes indagare conemur, tum Apollodori fragmenta in unum corpus redacta illustremus. Atque cum quo tempore fuerit Parthicorum ille auctor, adhuc satis dubitetur, addam quaestiunculam de Apollodori Artamiteni aetate.

I.

Strabo antequam accedat ad singulas orbis terrarum regiones describendas, rationem sibi reddendam esse arbitratur, cur cum antea multi atque ii doctissimi viri ei rei operam dederint, tamen et ipse animum induxerit ut libros geographicos conscriberet. Cuius rei praeter alias causas, quas nunc afferre nihil interest, propterea sese sperat veniam impetraturum esse, quod multae orbis regiones recentissima demum aetate exploratae sint et Romanorum imperio in occidentem versus nuper dilatato et oriente fere toto subiecto a Parthis. Atque ut Romanos, qui nihil attinent ad quaestionem de Apollodoro Artamiteno instituendam, missos faciamus, de Parthis haec dicit[2]: οἱ δὲ Παρθυαῖοι τὰ περὶ τὴν Ὑρκανίαν καὶ τὴν Βακτριανὴν καὶ τοὺς ὑπὲρ τούτων Σκύθας γνωριμωτέρους ἡμῖν ἐποίησαν ἧττον γνωριζομένους ὑπὸ τῶν πρότερον. ὥστε ἔχοιμεν ἄν τι λέγειν πλέον τῶν πρὸ ἡμῶν. Neque plura tantum verum etiam accuratiora nuper cognita esse dicit alio loco,[3] ubi legitur: ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων ἐπικράτεια καὶ ἡ τῶν Παρθυαίων πλεῖόν τι προσεκκαλύπτει τῶν παραδεδομένων πρότερον· οἱ γὰρ περὶ ἐκείνων συγγράφοντες καὶ τὰ χωρία καὶ τὰ ἔθνη, ἐν οἷς αἱ πράξεις, πιστότερον λέγουσιν ἢ οἱ πρὸ αὐτῶν· μᾶλλον γὰρ κατωπτεύκασι. Jam vero quaerenti omnia illa in oriente

---

[1] A. Goethius, qui in dissertatione cui inscripsit: De font. Dionys. perieg. Goetting. 1875, apud Dionysium Artamiteni vestigia invenisse sibi videtur, haud scio an nemini persuaserit.

[2] I 2, 1 C. 14.

[3] XI 6, 4 C. 508.

nuper explorata quis communicaverit cum Graecis, respondet idem Strabo II 5, 12 C. 118; ἀπήγγελται δὲ ἡμῖν καὶ ὑπὸ τῶν τὰ Παρθικὰ συγγραφάντων τῶν περὶ Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀρταμιτηνόν, ἃ πολλῶν ἐκεῖνοι[1] μᾶλλον ἀφώρισαν τὰ περὶ τὴν Ὑρκανίαν καὶ τὴν Βακτριανήν.

Apollodorum igitur Artamitenum Strabo profitetur sese potissimum sequi auctorem rerum Hyrcanicarnm Bactrianarum Scythicarum. Sed contra haec poterit quispiam dicere, praeter Apollodorum licere etiam de Posidonio Rhodio cogitare, quippe qui et ipse haud ita multo ante Strabonem scripserit de rebus Parthicis. Quod etsi negari **non** potest, stoicum illum philosophum doctissimum inter eos esse scriptores, quos Strabo adhibuit in rebus Parthicis enarrandis, tamen locis supra allatis quos ad eundem auctorem pertinere apparet, Strabo solum significat Artamitenum Parthicorum auctorem. Nam praeterquam quod solum Apollodorum disertis verbis commemorat — quamquam enim dicit οἱ περὶ Ἀπολλόδωρον notissimo illo posteriorum Graecorum dicendi usu unum tamen significat Apollodorum — expendenda sunt verba: ‚μᾶλλον γὰρ κατωπτεύκασι‘, quae minime quadrant in Posidonium Rhodium. Quem illas umquam regiones adiisse non solum nullum exstat veterum testimonium, sed veri etiam dissimillimum est.[2] Strabo enim (XI 1, 5 C. 491 ss.) Posidonium erroris arguens in definienda latitudine isthmi, qui est inter Colchidem et Paludem Maeotim, commissi, hisce utitur verbis: οὐκ οἶδα δὲ πῶς ἄν τις περὶ τῶν ἀδήλων αὐτῷ πιστεύσειε μηδὲν εἰκὸς ἔχοντι εἰπεῖν περὶ αὐτῶν, ὅταν περὶ τῶν φανερῶν οὕτω παραλόγως λέγῃ, καὶ ταῦτα φίλος Πομπηίῳ γεγονὼς τῷ στρατεύσαντι ἐπὶ τοὺς Ἴβηρας καὶ τοὺς Ἀλβανοὺς μέχρι τῆς ἐφ' ἑκάτερα θαλάττης τῆς τε Κασπίας καὶ τῆς Κολχικῆς. Quibus ex verbis manifesto apparet ipsum Posidonium illas regiones non adiisse; quod si fecisset, Strabo quo maior videretur Posidonii error, non a Pompeio auctore sed a Posidonio teste oculato veritatem exegisset. De Posidonio igitur cum geographus dicere non potuerit

---

[1] Sic cdd. Cf. p. 36 ad Fr. 1.

[2] Scheppig: De Posidoni p. 7 et Schuehlein: Stud. z. Posidon. p. 28 de Posidonii itineribus in orientem factis meras coniecturas proferunt Cf. K. Müllenhof D. A. II, p. 126 ss.

‚μᾶλλον γὰρ κατωπτεύκασι‘, iam dubium non est, quin illis locis solus intellegendus sit Apollodorus Artamitenus.

Videmus igitur Apollodori Artamiteni Strabonem auctoritate niti in describendis rebus Hyrcanicis Bactrianis Scythicis, quas absolvit in geographiae libri XI Cap. 6-12. De huius igitur partis fontibus nobis quaerendum est. Sed priusquam ad hanc quaestionem aggrediamur, aliud monendum est: apparet enim simul iisdem locis Apollodorum illarum rerum auctorem esse recentissimum. Quare ubicumque in illis regionibus describendis Strabo auctores citat ‚τοὺς νῦν‘ vel simuli utitur genere dicendi, habemus Artamiteni vestigia, quae tamen quaerendum erit utrum ex ipsis ‚Parthicis‘ fluxerint an mutuata sint ab alio scriptore, qui Apollodorum scilicet auctorem habuerit.

II.

DE AUCTORIBUS, QUOS STRABO ADHIBUERIT IN CONSCRIBENDIS LIBRI XI CAP. 6-12.

Cap. 6 § 1.

Strabo cum incipit alteram, quam statuit (XI 1, 4. C. 490-491) Asiae partem describere, primum quidem de mari Hyrcanio agens eius circuitum exponit secundum Eratosthenem (cf. Berger: Die geograph. Fragmente des Eratosthenes p. 323). Tamen haec et alii Strabonis loci, qui redolent doctrinam et rationem Eratosthenis, Strabo utrum ipsius Eratosthenis libris debeat an aliorum, hac in dissertatione haud diiudicaverim. Cuius quaestionis pars soluta est a Zimmermanno in Hermae vol. XXIII pag. 125 ss., qui satis firmis argumentis docuit, apud Strabonem exstare descriptionem occidentalium regionum Eratosthenicam, sed retractatam et emendatam a Posidonio Rhodio. Idem num iudicandum sit de orientalibus orbis partibus, maior est quaestio, quam quae hoc loco in universum diiudicetur. Tamen de singulis locis, quid nobis videatur, exponemus.

§ 2 et 3.

Veterum de septentrionalibus gentibus varias opiniones atque fabulas Strabo iam recensuit I 2, 27 C. 33. Quem in

hac disputatione secutus sit auctorem, apparet e nomine Celtoscytharum, quod Muellenhoffius (D. A. II p. 170 ss.) ostendit inventum esse a Posidonio Rhodio. Praeter duos Strabonis locos nomen illud occurrit apud solum Plutarchum vit. Mar. cap. 11., quem locum Muellenhoffius demonstravit (ib. II p. 67 ss.) redire ad Posidonium Rhodium. Quare satis certum videtur esse, Strabonem in recensendis veterum opinionibus auctorem sequi stoicum illum philosophum. Tota autem haec disputatio cum pertineat ad extremum caput VI, illa oritur quaestio, num Apollodori quoque mentio debeatur Posidonio.

Iam quae sit rerum series videamus. Reprobantur fabulosae priscorum temporum narratiunculae, diligentiae atque fidei laude ornantur Apollodori, recentis auctoris, Parthica. Nonne eundem putemus vituperare, eundem laudare? Quae mihi quidem tam arte videntur cohaerere, ut separari nullo modo possint. Quare Apollodori mentionem tribuo Posidonio Strabonis auctori.

Quod si recte se habet, Apollodorus fuit inter auctores Posidonii neque abhorret a probabilitate Straboni eius Parthica innotuisse per Posidonium Rhodium. Sed de hac re singulis locis quaerendum erit.

Cap. 7 § 1.

Litora maris Caspii sive Hyrcanii tum primum a Graecis accuratius cognita sunt, postquam Patrocles iussu regis Seleuci Nicatoris (cf. Berger, l. c. p. 94 ss. Neumann in Herm. vol. XIX p. 184 ss.) illa classe adiit. Cuius vestigia secutum esse Eratosthenem in illo mari describendo satis notum est. Quae vero Strabo narrat Patrocle auctore citato, Bergerus suo iure vindicavit Eratostheni. Tamen, ut iam supra diximus, admodum dubium est, num ex ipsius Eratosthenis libris ea omnia sumpserit geographus.

Atque hoc quidem, quem tractamus, loco plurima possunt ad Eratosthenem redire. Nam quae Strabo in huius libri cap. 6 § 1 exponit de circuitu maris Caspii, ab Eratosthenis auctoritate pendere iam supra vidimus. Quare dubitari non potest, quin hoc quoque loco, ubi copiosius eadem repetuntur, Eratosthenis appareat doctrina. Quod probatur etiam singulis rebus hic

relatis. Nam de sinu huius maris cum Curtius Rufus VI 4, 16 dicat: ‚Namque perpetua vallis iacet usque ad mare Caspium patens, quo duo terrae eius velut bracchia excurrunt: media flexu modico sinum faciunt lunae maxime similem, cum eminent cornua nondum totum orbem sidere implente' haec e Patroclis libro sumptum esse putabimus a Clitarcho, quem usum esse Patrocle apparet alio Curtii loco, qui est VI 4, 19: ‚Et quidam credidere non clausum mare esse sed ex India in Hyrcaniam cadere, cuius fastigium ut supra dictum est perpetua valle submittitur' (cf. Plin. n. h. VI 38. Agathem. III 13). Quae deinde gentes enumerantur a Strabone, occurrunt apud Eratosthenem (fr. III B 68), dico Albanos Cadusios Amardos Anariacos. Gelae autem Cadusii sunt (cf. Olshausen in Herm. v. XV p. 326 ss.). De serie autem nominum immutato confer, quae exposuit Neumannus in Herm. vol. XIX p. 171 ss.

Quod si pleraque nituntur auctoritate Eratosthenis, tamen nonnulla leguntur in hac paragrapho, quae aliunde sumpta esse apparet. Nam primum quidem animadvertendum est illud ‚Δάας οἱ νῦν προσαγορεύουσι τοὺς ἐπονομαζομένους Πάρνους' quod ad Apollodorum Artamitenum redire indicatur verbis ‚οἱ νῦν'. Adde quod scriptores rerum ab Alexandro gestarum prope Jaxartem collocavere Dahas. Cf. Arrian. exped. Alex. III 28, 8, Curt. Ruf. VII 4, 6. VIII 1, 8. Idem visum esse Eratostheni, qui in hisce regionibus describendis totus pendebat a scriptoribus rerum Alexandri, admodum probabile est.

Quare quae in hac paragrapho narrantur de Dahis, non ad Eratosthenem possunt redire sed, ut puto, Artamiteno debentur, per quem notitiam Scytharum nuper auctam esse supra praedicat Strabo ex auctoritate Posidonii.

Quae cum ita sint, valde fit verisimile totam hanc paragraphum sumptam esse e Posidonii libris praeter illum locum, qui est de Parrhasiis. Qui repetitur a Strabone XI 14, 14 C. 531, ubi refert ‚archaeologiam Armeniacam', quam pendere a Theophane Mytilenaeo ostendit W. Fabricius (Theophanes von Mytilene und G. Dellius als Quellen der Geographie des Strabon p. 79 ss. et pag. 126).

§ 2.

Hyrcaniam deinceps Strabo narrat opulentissimam esse et propter regionis situm et propter urbium numerum atque magnitudinem et propter ea, quae ibi gignantur terra.

Fertilitatis autem Hyrcaniae testimonia a Strabone iam exhibita II 1, 14 C. 73 leguntur etiam apud scriptores rerum Alexandri. Confer enim Curt. Ruf. VI 4, 21 et Diodor. Sicul. XVII 75, 4 (adde etiam Onesicriti fr. 3 et 4). Neque tamen Clitarchus, a quo fontem a Curtio adhibitum et Diodorum Siculum in rebus Alexandri narrandis pendere satis constat, illorum testimoniorum ad Hyrcaniae fertilitatem pertinentium Straboni videtur auctor fuisse; nam et eo quem tractamus loco et illo libri II cum Hyrcania comparantur Sacasene et Araxene atque ita quidem, ut facile appareat et fertilitatis illa argumenta et Sacasenae Araxenaeque comparationem ex eodem fluxisse fonte. Quem fontem Theophanis fuisse librum docet W. Fabricius l. c. p. 80 et 136. Theophanes enim ea, quae Clitarchus memoriae tradiderat Hyrcaniae fertilitatis testimonia, comparavit cum iis, quae ipse expertus erat in Armenia, atque e Theophanis libro sua sumpsit Strabo.

Quod si recte putamus, ne illa quidem, quae sequuntur inde a ‚τῆς μέντοι‘ usque ad ‚φησί‘ (p. 509), possunt non Theophanis esse. Tam arte enim cohaerent cum antecedentibus, ut ab iis vix dirimi possint. Quare arbitror haec quoque esse Theophanis. Quod probatur etiam alio argumento, quod petitum est e rerum ordine a Strabone adhibito. Nemo enim ignorabit, res a Strabone in hac paragrapho neque luculenter dispositas esse neque eleganter. Sententiarum enim ordo est hic: Primum quidem absolvitur de urbibus Hyrcaniae eiusque fertilitate. Tum exhibentur causae cur Hyrcania non ea, qua debebat, cura atque diligentia culta sit. Qua re ad finem perducta subito aliud Hyrcaniae fertilitatis affertur testimonium, quod videbimus redire ad Eratosthenem. Nonne apparet, concinnius Strabonem dicturum fuisse de Hyrcaniae arboribus una cum reliquis Hyrcaniae fertilitatis testimoniis? Cur igitur totam illam interposuit digressionem de Hyrcania a cultoribus neglecta? Quod cur factum sit, apertum est. Noluit Strabo Theophanis et Era-

tosthenis narrationem contaminare eamque ob rem non prius hunc induxit loquentem quam perorasset ille. (Similiter orationem dispositam esse a Strabone XI 2, 12 C. 495-496 ostendit Neumannus, Kaukasien p. 336.) Qua re cognita eo magis adducimur ut credamus Theophanis verba pertinere usque ad ‚φησὶ δ' Ἀριστόβουλος', unde incipit fragmentum Eratosthenis.

Nam Aristobulum, qui ibi citatur, non ipsum hoc loco adhibitum esse a Strabone apparet ex alio loco. Legimus enim in l. XI 7, 4 C. 510: ‚Ἐρατοσθένης δέ φησι καὶ ἐν τῇ Ἰνδικῇ φύεσθαι ἐλάτην.' Hoc igitur loco Strabo narrat secundum Eratosthenem, quod ille contendit ab Aristobulo traditum esse. Unde sequitur Aristobulum ab Eratosthene testem esse allatum, et Strabonem ex Eratosthenis libro exscripsisse et verba illa ad arbores Hyrcaniae pertinentia et nomen Aristobuli. Quare huius paragraphi extrema Bergerus debebat inter fragmenta Eratosthenis geographica recipere.

§ 3.

Multi saepe viri docti atque maxime homines rei geographicae periti quaesiverunt, qui esset fluvius Ochus, quem dicerent veteres, atque hanc quaestionem solvere ad id tempus desperavere. Quare Walker in Encyclop. Brit. vol. 18 p. 104 dicit: «The Ochus has still to be discovered». Sed omnium haec virorum doctorum studia vana fuisse auctor mihi est Neumannus; neque enim ita rem instituendam esse ut quaeratur, qui omnino fuerit fluvius Ochus veterum, sed ubicumque mentio fiat Ochi, semper examinandum esse, quem quoque loco amnem hoc nomine appellaverit scriptor. Tam varia enim de eo tradi atque ea inter se diversa, ut nullo pacto eundem semper fluvium intellegere liceat. Hanc ipsius sententiam ut hoc loco copiosius exponerem liberalissime mihi concessit Neumannus. Cuius officii hac occasione data ei gratias agere eo magis cupio, quod ne in reliquis quidem rebus, quae dubiae mihi erant, eius doctrina atque opera mihi umquam defuerunt.

Iam igitur quaeramus, qui quoque Strabonis loco amnis dicatur Ochus et ad quem quisque locus auctorem sit referendus. Atque primum quidem nonnullos de Ocho locos proponamus, qui inter se videntur consentire.

1. ῥεῖν δὲ τὸν Ὦχον οἱ μὲν διὰ τῆς Βακτριανῆς φασιν. Strab. XI 11, 5 C. 518.

2. οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἕτερον, συμβάλλειν δ' εἰς ἓν τὸ τοῦ Ὤξου ῥεῖθρον πολλαχοῦ καὶ ἓξ καὶ ἑπτὰ σταδίους ἔχον τὸ πλάτος. Ibidem.

3. ἔνιοι δὲ τὸν Ὦχον εἰς τὸν Ὦξον ἐμβάλλειν φασίν. Strab. XI 7, 3 C. 509.

4. τοῦ δὲ Ὤχου ποταμοῦ πλησίον ὀρύττοντας εὑρεῖν ἐλαίου πηγὴν λέγουσιν. Strab. XI 11, 5 C. 518.

Omnibus his, quos exscripsimus, locis Aristobuli de Ocho proponitur sententia. Arrianus enim in an. III 29 eandem Oxi latidudinem statuit, quam Strabo XI. 11, 5 C. 518. Unde sequitur hunc Strabonis locum pendere ab Aristobulo. Aristobulus igitur Ochi nomine appellat fluvium quendam, qui influit in Oxum; quare eundem Strabo significat auctorem eum dicit XI. 7, 3 C. 509: ἔνιοι δὲ τὸν Ὦχον εἰς τὸν Ὦξον ἐμβάλλειν φασίν, praesertim cum brevi post Aristobulus disertis verbis commemoretur. Deinde quod Strabo XI 11, 5 C. 518 dicit e sententia nonnullorum scriptorum Ochum fluere per Bactrianam, hoc optume consentit cum Aristobuli sententia, qui in Oxum influere putabat Ochum. Itaque huius quoque loci auctor est Aristobulus. Iam idem apud Strab. XI 11, 5 C. 518 memoriae tradit, olei fontes repertos esse prope Ochum fluvium. Confer de ea re Plut. in vit. Alex. 57 et Arrian. An. IV 15, 7 (unde Eustath. ad Dion. perieg. v. 747 hausit), qui Aristobulo auctore[1] testantur, Alexandri milites prope Oxum effodisse olei fontes, unde bonum omen sibi rex sumpsisset. Quod Strabo vult prope Ochum illud accidisse, Plutarchus et Arrianus prope Oxum, aut Strabo emendandus aut sumendum est, traditum esse ab Aristobulo fontes exstitisse prope eum locum, ubi uno alveo recipiuntur Oxus et Ochus, ita ut eodem iure Oxus legatur apud Arrianum Plutarchumque et apud Strabonem Ochus. Hoc alterum ut verisimilius putem adducor Curtii Rufi quodam loco, qui est VII 10, 14. Ubi etsi non olei fontes repertos esse vult sed aquae, tamen de eodem casu agi arbitror, quod Curtius dicit; ‚rexque ipse credi voluit deum donum id fuisse.‘ Atque hanc rem accidisse prope

---

[1] Fränkel: Die Quellen der Alexanderhistoriker p. 303.

eum locum, ubi Ochus influit in Oxum etiam Curtii narratione apparet. Nam quamquam brevi ante dixerat, ‚ad flumen Oxum perventum est' tamen historiola illa narrata pergit hisce verbis: ‚superatis deinde Ocho et Oxo ad urbem Margianam pervenit'. Significatur igitur locus haud ita procul ab utroque fluvio situs.

Iam cum Alexander haud procul a Bactris urbe transierit Oxum, consequitur Aristobuli Ochum intellegendum esse eum fluvium, quem veteres appellabant Bactrum[1] vel Zariaspem,[2] nostrae vero aetatis homines Balkhab vel Dehas.[3] Quem fluvium olim influxisse in Oxum multa exstant veterum testimonia;[4] nunc autem propter multos canales ex eo deductos in agros inops aquarum evanescit in desertis locis. Qua de re Geigeri verba sunt haec: Durch die Kanalisierung ist die Wassermenge des Balkhab derart geschmälert, dass er wenig unterhalb (der Stadt Balkh) im Sande der Steppe sich verliert und den Oxus nicht erreicht; doch begegnet man noch bis zur Hälfte des Weges, über eine Tagereise weit, den Spuren des durchsickernden Wassers in der Wüste.[5]

Aliis Strabonis locis Ochus exhibetur usque ad ostium ab Oxo diversus esse:

1. οἱ μὲν ἕτερον τοῦ Ὤξου μέχρι τῶν ἐκβολῶν νοτιώτερον ἐκείνου, ἀμφοτέρων δ' ἐν τῇ Ὑρκανίᾳ τὰς εἰς τὴν θάλατταν ὑπάρχειν ἐκρύσεις. Strab. XI 11, 5 C. 518.

2. διαρρεῖται δὲ καὶ ποταμοῖς ἡ Ὑρκανία τῷ τε Ὤχῳ καὶ Ὤξῳ μέχρι τῆς εἰς θάλατταν ἐκβολῆς, ὧν ὁ Ὦχος καὶ διὰ τῆς Νησαίας ῥεῖ. Strab. XI 7, 3 C. 509.

3. οἱ δὲ παρ' αὐτὴν (scil. Βακτριανὴν ῥεῖν τὸν Ὦχον φασί) Strab. XI 11, 5 C. 518.

4. ἐκ γὰρ τῶν αὐτῶν ὀρῶν τῶν Ἰνδικῶν ἐξ ὧν ὅ τε Ὦχος καὶ ὁ Ὦξος καὶ ἄλλοι πλείους, φέρεται καὶ ὁ Ἰαξάρτης, ἐκδίδωσί τε ὁμοίως ἐκείνοις εἰς τὸ Κάσπιον πέλαγος πάντων ἀρκτικώτατος. (XI 7, 4 C. 510)

Huc accedit Plinii locus simillimus ei, quem tertio loco supra proposuimus:

---

[1] Curt. Ruf. VII 18. Plin. n. h. VI 48; 52.

[2] Strab. XI 11, 2 C. 516. Ptolem. geogr. VI 11. Ammian. Marc. XXIII 6, 57.

[3] Geiger: Ostiran. Kultur im Alterth. p. 60.

[4] Strab. XI, 11, 2 C. 516. Plin. n. h. VI 52. Ptolem. geogr. VI 11.

[5] l. c. p. 68.

5) gens (scilic. Bactrianorum) includitur flumine Ocho. Plin. n. h. VI 48.

Apud Strabonem XI 11, 5 C. 518 Ochus appellatur fluvius, qui prorsus ab Oxo diversus atque in meridiem magis influat in mare Hyrcanium. Hanc Polycleti de Ocho sententiam esse apparet alio Strabonis loco qui est XI 7, 4 C. 510. Sunt autem duo fluvii qui hisce locis intellegi possunt, dico eum qui in superiore parte hodie appellatur Herirud, in inferiore Tedschend, et eum quem veteres vocabant Margum, nos Murghab. Utriusque enim fluvii pars superior eundem fere tenet cursum quem Oxus. Neque in ea re haerendum est, quod cum neuter exeat in Hyrcanium mare, Polycletus Ochum contendit in mare influere. Quod eo minus premendum est, quod idem auctor Iaxartem quoque facit in mare influentem.[1]

In utrumque amnem quadrat illud οἱ δὲ παρ᾽ αὐτὴν nec non Plinii locus supra allatus.

Iam si quaerimus uter fluvius significetur a Polycleto, inde nobis proficiscendum est, quod Polycletus est unus ex scriptoribus rerum Alexandri Magni. Qui cum ad Margum amnem, quantum nos quidem scimus, numquam accesserit, alterum illum fluvium, quem Arium veteres vocant, superavit prope eum locum, ubi nunc Herat urbs sita est. Quo loco Arius fluvius, cuius superior pars nunc appellatur Heri-rud, eundem cursum tenet quem Oxus, ut Polycleti Ochus. Haec igitur superior Arii amnis pars fluvius Ochus est Polycleti, qui persuasum habebat, eum in mare Hyrcanium fluere sicut Oxum et Iaxartem.

Deinde legimus apud Strab. XI 7, 3 C. 509 : οὐ πάνυ δ᾽ ὑπὸ τῶν παλαιῶν ὁ Ὦχος ὀνομάζεται. Ἀπολλόδωρος μέντοι ὁ τὰ Παρθικὰ γράψας συνεχῶς αὐτὸν ὀνομάζει ὡς ἐγγυτάτω τοῖς Παρθυαίοις ῥέοντα. Quare dubitari non potest, quin Strabo in Ocho fluvio describendo illo quoque auctore usus sit. Quare cum iam exposuerimus, quid de Ocho visum sit Aristobulo et Polycleto, reliqui de Ocho loci referendi sunt ad Apollodorum Artamitenum. Sunt autem hi :

1. ἔπειτ᾽ Ἀρσάκης ἀνὴρ Σκύθης τῶν Δαῶν τινας ἔχων τοὺς Πάρνους καλουμένους νομάδας παροικοῦντας τὸν Ὦχον ἐπῆλθεν ἐπὶ τὴν Παρθυαίαν. Strab. XI 9, 2 C. 515.

---

[1] **Apud Strab. XI 7, 4 C. 510.**

2. καὶ ἡ ἔρημος ἣν ἀπὸ τῆς Ὑρκανίας ὁρίζει ὁ Σάρνιος ποταμὸς πρὸς ἕω βαδίζουσι καὶ ἐπὶ τὸν Ὦχον. (XI 8, 1 C. 510/511.)

Ochus igitur Appollodori, cum sit fluvius, ad quem pervenit is, qui ab Hyrcania progreditur in orientem versus, necesse est ut fluvius intellegatur, qui a meridie fluat in septentrionem versus. Nam si fluxisset ab oriente in occidentem versus, dicendum erat Straboni καὶ παρὰ τοῦ Ὤχου, non vero ἐπὶ τὸν Ὦχον. Porro fluebat prope Parthyaeam per sedes Daharum, quae eodem teste Appollodoro[1] sitae erant in orientali litore maris Hyrcanii ultra Hyrcanorum gentem. Quae omnia si reputaverimus, Ochum Appollodori nullum alium putabimus esse fluvium nisi eum, cuius inferiorem partem nos dicimus Tedschend. Eiusdem igitur amnis inferior cursus ab Apollodoro vocatur Ochus, cuius superior a Polycleto. Eiusdem enim fluvii partes sunt Heri-rud et Tedschend.

Postremo loco ne quid reliquisse videamur in hac de Ocho quaestione, disputare liceat de Ptolemaei geographi Ocho. Qui de Ocho haec habet:[2] διαρρέουσι δὲ τὴν Βακτριανὴν ποταμοὶ ἐμβάλλοντες τῷ Ὤξῳ ποταμῷ ὅ τε Ὦχος ποταμὸς κ. τ. λ. et brevi infra (§ 4) ὁ δὲ Δαργαμάνης καὶ ὁ Ὦχος καὶ αὐτοὶ πρότερον συμμίξαντες ἀλλήλοις κ. τ. λ. Duos in illa regione Ptolemaeus fluvios aquas suas miscentes collocat inde a Zariaspe, qui Balk urbis moenia praeterfluit, ad occidentem versus. Atque cum Margus iam antea[3] commemoratus sit a Ptolemaeo, fluvii intellegendi sunt, qui fluunt inter Zariaspem et Margum (Balkhab et Murghab). Sunt autem in hac regione duo fluvii, qui compluribus rivis efficiuntur. Quorum alter fluit praeter Andkhui urbem, Nari hodie appellatus, alter prope Schibargan. Ptolemaeus autem, cum eum cursum teneat, ut ab occidente procedat ad orientem solem, et primo loco afferat Ochum et Dargamanen, Ochi nomine videtur appellasse Nari flumen, quoniam in occidentem magis versus sit quam alterum.[4]

Hac de Ocho flumine quaestione iam ad finem perducta,

---

[1] Ap. Strab. XI 7, 1 C. 508. Cf. p. 13.

[2] VI 11.

[3] Geiger l. c. p. 60. Reclus: Géogr. univ. VI p. 487; 490.

[4] VI 10, 1.

quos Strabo in c. VII § 3 fontes adhibuerit, facile est intellectu. Primum quidem Polycleti de Ocho refertur sententia, quem supra vidimus Ochum tradidisse in mare exire. Cum idem Polycletus diceret ὧν ὁ Ὦχος καὶ διὰ τῆς Νησαίας ῥεῖ, Strabo inde fortasse coniecit hanc provinciam non Hyrcaniae subiectam sed suae dicionis esse. Unde intellegitur, cur Strabo in fine antecedentis paragraphi dicat: τινὲς δὲ καθ' αὑτὴν τιθέασι τὴν Νησαίαν. Iam ut pergamus, in paragrapho 3 inde a verbis ἔνιοι δὲ τὸν Ὦχον Aristobuli exponitur sententia, de qua supra disputavimus. Quae sequuntur, ea et apud Aristobulum legi et apud Eratosthenem testis est ipse Strabo. Quibus e verbis equidem arbitror concludendum esse, non ipsum Aristobulum ante oculos fuisse Straboni, sed, ut Patroclem, citatum esse apud Eratosthenem. Sed etiam Polycleti illam de Ocho sententiam puto Eratostheni deberi, cum praesertim in paragrapho 4, quam totam demonstrabimus ad Eratosthenem redire, eadem Polycleti afferatur de Ocho sententia. Quod vero in extrema paragrapho 3. Apollodorus laudatur, probabile est, ne Eratosthenem quidem ipsum auctorem esse Strabonis, sed Posidonium.

§ 4.

Suo iure Strabo acerbissimis verbis vituperat Alexandri Magni comites, qui vana gloriae cupiditate commoti Maeotidem Caspiumque mare idem contenderint esse, eo scilicet consilio, ut nullam Asiae partem non adiisse viderentur Macedones. Qua in disputatione Strabonem plane pendere ab Eratosthene intellegitur his, quae in fine leguntur, verbis: πολλὰ δὲ καὶ ἄλλα τοιαῦτα συγκρούειν Ἐρατοσθένης πειρᾶται. Quare Bergerus totam hanc paragraphum Eratostheni debebat vindicare, id quod iam Neumannus observavit in Hermae vol. XIX p. 183 adn. (De singulis rebus cf. Curt. Ruf. VI 4, 18. VII 6, 25. Arrian. an. III 30, 7. Diod. Sic. XVII 75. Plin. n. h. VI 51. Strab. XI 7, 2 C. 509.)

§ 5.

Huius paragraphi fontem esse Eudoxum ipse profitetur Strabo, nam quod addit ‚καὶ ἄλλων', hoc pertinere videtur ad testes apud Eudoxum citatos.

Cap. 8 § 1.

Verbis quae sunt ἀπὸ δὲ τῆς Ὑρκανίας θαλάττης προιόντι ἐπὶ τὴν ἕω δεξιὰ μέν ἐστι κ. τ. λ. eadem indicatur via, quae apud Strab. II 1, 3 C. 68: ἡ ἐφεξῆς ἡ ἐπὶ Βάκτρα καὶ τοὺς ἐπέκεινα Σκύθας ὁδὸς δεξιὰ ἔχοντι τὰ ὄρη. Confer etiam Strab. II 1, 5 C. 69: τίνες δὲ οἱ ἀπὸ Ἀμισοῦ διὰ Κόλχων καὶ τῆς Ὑρκανίας μέχρι Βακτρίων καὶ τῶν ἐπέκεινα εἰς τὴν ἑῴαν θάλατταν καθηκόντων ἐπ' εὐθείας τε εἶναι λέγοντες καὶ ἐπ' ἰσημερινὰς ἀνατολὰς καὶ παρὰ τὰ ὄρη ἐν δεξιᾷ ἔχοντι αὐτά; — ταῦτα γὰρ ὁ Ἐρατοσθένης λαμβάνει πάντα ὡς καὶ ἐκμαρτυρούμενα ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς τόποις γενομένων. Hoc altero libri II loco apparet Strabonem in hac via describenda duci doctrina Eratosthenis, qui e scriptoribus Alexandri Magni sua sumpsit. Secundum eundem commemorari Gelas Cadusios Amardos sequitur ex iis, quae supra disputavimus de cap. VII § 1 fontibus (p. 9 ss.). Tauri deinde montis pars Parachoadras appellatur ab Eratosthene in fr. III B 63, ubi legitur: τοὺς δὲ Καδουσίους συμφαύειν Μήδων καὶ Ματιανῶν ὑπὸ τὸν Παραχοάθραν. Porro si a Strabone statuitur distantia, quae inter Hyrcanium mare intercedat et Alexandream in Aria sitam, hanc partem esse eius viae, de qua supra diximus, recte monuit Bergerus (l. c. p. 244 ss.).

Videmus igitur maximam huius paragraphi partem certis rationibus referri posse ad Eratosthenem. Illa autem Ochi mentio non potest ex sententia Cyrenaici philosophi facta esse, cum significetur Apollodori Ochus. Iam parum probabile est, Strabonem propter pauca illa verba, quae sunt ‚καὶ ἐπὶ τὸν Ὦχον' adiisse Apollodori Parthica, immo haec pro certo habeo argumento, totam hanc paragraphum a geographo non sumptam esse ex Eratosthenis libro, sed Posidonii, qui iam contaminaverat Eratosthenem cum Apollodoro Artamiteno, cum praesertim supra (p. 17) Apollodori Ochus in cap. VII par. 3 nobis videretur afferri ex auctoritate Posidonii. (Cf. p. 9 et Zimmermannum in Hermae vol. XXIII p. 100 ss.)

§ 2.

Strabo cum I 2, 1 C. 14 ex auctoritate Posidonii profiteatur per Apollodorum Artamitenum accuratius cognitas esse

gentes Scytharum,[1] qui ultra Hyrcanos et Bactrianos incolant, certe exspectandum est, in earum descriptione vestigia apparere Apollodori. Atque profecto in definiendis sedibus Daharum Strabonis primarium anctorem esse Parthicorum illum scriptorem supra vidimus.[2] Quare ne hoc quidem quem tractamus loco licet de alio auctore cogitare. Mirum enim esset quam maxime, si idem Strabo, qui dixit: (Apollodorus) ‚τοὺς ὑπὲρ τούτους Σκύθας γνωριμωτέρους ἡμῖν ἐποίησεν‘, tamen, cum illos describeret, alio usus esset auctore nise forte eo, quem ipsum pendere sciret ab Artamiteno. Quare non dubito initium paragraphi 2 usque ad verba, quae sunt ἐπὶ τὸ πολὺ νομάδες Apollodori Parthicis vindicare, ita tamen, ut infra videamus, num hoc quoque loco Apollodorea mutuata sint a Posidonio. Tum de Scytharum gentibus, quae Graecos expulerunt e regno Bactriano, eadem fere atque Strabo tradidisse Pompeius Trogus videtur. Legimus enim in prologo hist. Phil. XLI: «quo regnante Scythicae gentes Saraucae et Asiani Bactra occupavere et Sogdianos» atque in prologo XLII: «reges Tocharorum Asiani interitusque Saraucarum». Eodem utrumque auctore usum esse, admodum probabile est, praesertim cum haec res sit e reconditioribus neque ab ullis aliis commemoretur scriptoribus Graecis vel Romanis. Iam vero Heerenus[3] probante Muellero[4] demonstravit, Trogum in conscribendis libris 36-44 usum esse Posidonio, id quod minime refutasse mihi videtur Scheppig.[5] Unde fit verisimile illum de Bactrianorum regno sublato locum et Strabonem et Trogum Pompeium sumpsisse e Posidonii Rhodii historiis. Iam igitur hoc quoque loco in eiusdem paragraphi spatio auctores deprehendimus Apollodorum et Posidonium Rhodium. Quare, ut supra, probabile est, ea, quae cognovimus Apollodorea esse, deberi Posidonio Rhodio. Četerum de regno Bactriano everso conferas velim Lassen, Z. G. der

---

[1] Cf. p. 8 ss.

[2] Cf. p. 10.

[3] Comment II de font. et auctorit. Trogi Pomp. in comment Gott. vol XV p. 233 sqq.

[4] Fragm. hist. graec. vol. III p. 252.

[5] l. c. p. 35 sqq.

gr. u. indoskyth. Könige in Baktrien, p. 224 ss. Spiegel, Er. A. v. III p. 62. Gutschmid, Gesch. Irans, p. 58 ss.

§ 3.

Inter Hyrcanos Parthyaeos Arios sita sunt loca deserta, quae hodie percurruntur a turbis Turcmanorum. Quae olim Daharum catervas pervectas diripuisse adiacentes regiones Strabo narrat in § 3. Quod cum apud nullum inveniatur alium scriptorem, huius loci auctor pro certo erui non potest. Sed admodum probabile est, totum hunc locum, qui est de Dahis (inde a καὶ τῶν Δαῶν usque ad extremam § 3), ad unum auctorem redire.

§ 4.

Sacae teste Strabone olim similes in Asiam incursiones fecere atque Cimmerii Treresque, et postquam magna Asiae parte occupata redierunt, sui memoriam reliquerunt nomen Sacasenae regionis Armeniacae Sacaeorumque dies festos, qui agebantur Zelis. De Sacasena Strabo agit duobus aliis locis, quos supra retulimus ad Theophanem Mytilenaeum (II 1, 14 C. 73. XI 7, 2 C. 509. Cf. pag. 11). Atque ut illis locis ita hoc, quem tractamus, Sacasenae praedicatur fertilitas et apud Strab. XI 14, 4 C. 528 eodem sine dubio auctore Theophane. Accedit quod Strabo commemorat Pompei expeditionem in illas regiones factam, quam scimus litteris mandatam esse a Theophane. Zelensium deinde urbs aedesque commemorantur apud Strab. XII 3, 37 C. 559/560 et Zelitis regio XII 3, 31 C. 557, quibus et ipsis locis mentio fit Pompei. Quibus omnibus ex causis huius paragraphi auctor videtur esse Theophanes.

§ 5.

Herodotus I 207 testis est a Cyro, cum bellum gereret contra Massagetas, eundem dolum instructum esse, quem Strabo narrat paratum esse contra Sacas. Atque cum Strabo sit auctor, id factum esse post victoriam a Sacis reportatam, Herodotus tradit memoriae, rebus adhuc integris insidias illas factas esse. Cum praeterea nihil inveniatur apud Herodotum de Sacaeis in illius doli memoriam institutis, non licet cogitare de Herodoto

Strabonis auctore.[1] Quae quamquam ita sunt, tamen apertum est, de eadem re agere et Strabonem et Herodotum. Nam pro Massagetis positi sunt Sacae ad Sacaea „αἰπολογικῶς" explicanda. Id enim maxime videtur spectasse ille, qui Herodoti narrationem mutavit. Talia autem non ipsum Strabonem periclitatum esse, certum est. Fortasse, si licet coniecturam facere, haec quoque narratio fluxit e Theophanis historia. Neque enim abhorret a probabilitate, Theophanem, quem scimus cum Pompeio fuisse in illis regionibus, utramque Sacaeorum nominis interpretationem audivisse apud ipsos Zelenses.

§ 6 et 7.

Quae de Massagetarum moribus proferuntur a Strabone, maximam quidem partem sumpta sunt ex Herodoti libro I. Confer enim Strabonis[2] pag. 465 v. 4-7 cum Herod. I 202, 3; 7-8 = Herod. I 216, 4; 8-10 = Herod. I 216, 1; 10-14 = Herod. I 216, 2; 14-20 = Herod. I 215; 20-22 = Herod. I 202, 1; 23-25 = Herod. I 203, 3; 25 et pag. 496 v. 1 = Herod. I 203, 2; 4 et 5 = Herod. I 216, 3. Sunt tamen nonnulla, quae aut aliter exponantur aut non legantur apud Herodotum. Nam cum Strabo contendat unum Oxi — nam hic fluvius est intellegendus apud Herodotum — ostium exire in *sinum* Hyrcanium, reliqua in mare septentrionale, Herodoto placuit undequadraginta ostia hauriri paludibus, unum *mari* Caspio, quod disertis verbis affirmat cum reliquo mari non cohaerere. Nam cum Herodotus recte iudicaret de mari Hyrcanio, posterioribus Graecis post Patroclis navigationem probatum videbatur esse, Hyrcanium mare sinum esse septentrionalis Oceani.

Deinde Strabo recedit ab Herodoto, quod non paludibus hauriri vult reliqua Araxis ostia, sed septentrionali mari.

Tum, ut supra diximus, Herodoti descriptioni, cuius ordo mutatus est, nonnulla addita sunt aliunde sumpta. Sunt autem haec: ἀμπέχονται δὲ τῶν δένδρων φλοιοὺς[1] — οὐδὲ γὰρ βοσκήματα ἔχουσι — πίνουσι δὲ τὸν ἐκ τῶν δένδρων καρπὸν ἐκθλίβοντες, quae

---

[1] Cf. Justin. I 8.

[2] Adscripsi paginas et versus edit. Kramer.

[3] Apud Herod. III 106 idem narratur, sed de Indis.

leguntur in paragrapho 7, et paullo infra: ἔχουσι δὲ καὶ πρόβατα ὀλίγα ὥστ' οὐδὲ κατακόπτουσι φειδόμενοι τῶν ἐρίων χάριν καὶ τοῦ γάλακτος.

Haec igitur aliena sunt ab Herodoto; reliqua autem omnia tam sunt similia, ut dubitari non possit quin ad primarium auctorem redeant Herodotum. Aeque autem certum mihi videtur esse, non ipsum Herodotum hoc loco exscriptum esse a Strabone. Namque primum quidem, ut supra vidimus, haud ita leviter mutata est narratio Herodoti. Deinde numne putemus futurum fuisse, ut Strabo, si re vera legisset Herodoti illum locum, ubi simul bellum refertur a Cyro contra Massagetas gestum et describuntur Massagetarum mores, in paragrapho quinta illud bellum narraret contra Sacas gestum esse? Aut si fecisset, nonne adnotasset auctorum discrepantiam? Quare me quidem iudice Strabo non adiit ipsum Herodotum. Immo Strabonis auctor videtur Ephorus esse, a quo Herodotum abunde exscriptum esse demonstravit Bauer. [1]

Ephor. fr. 76: εἶτ' αἰτιολογεῖ διότι ταῖς διαίταις εὐτελεῖς ὄντες (οἱ Σκύθαι) καὶ οὐ χρηματισταί... πρός τε τοὺς ἐκτὸς ἄμαχοί εἰσι καὶ ἀνίκητοι.	Strab. XI 8, 7 C. 315: αὐθέκαστος μὲν σκαιός τε καὶ ἄγριος καὶ πολεμικός, πρὸς δὲ τὰ συμβόλαια ἁπλοῦς καὶ ἀκάπηλος.

Confer etiam Strab. VII 3, 7 C. 300 inde a verbis τί δὲ θαυμαστόν, quem locum ad Ephorum redire satis apparet coll. fr. 76[2]. Unum videtur obstare. Ephorus enim, quoniam fuit ante Patroclem, per quem scimus falsum illud de Hyrcanio lacu iudicium ortum esse, non sinum duxit Hyrcanium sed recte lacum. Quae tamen difficultas facile ita tolli potest ut Strabonem hac quidem in re Ephorum tacite correxisse e volgari suae aetatis sententia statuamus.

§ 8.

Legimus apud Justinum, XLI 4, 7: «(Arsaces) accepta opinione, Seleucum a Gallis in Asia victum, solutus regis metu

[1] In Fleckeis. annalium supplem. X p. 281 sqq. Praesertim conferas p. 342.

[2] Strabo utitur Ephoro tum ipso tum retractato ab Apollodoro Atheniensi. Cf. Niese. Mus. Rhen. 32 (1877) p. 283 ss.

Parthos ingressus est.„ Verbis quae sunt „solutus regis metu" indicari videtur Arsacem antea fugisse Seleucum. Idem igitur auctor videtur adhibitus esse a Strabone et a Pompeio Trogo. Quare initium paragraphi arbitror ad Posidonium redire.[1] Nam quae narrantur de Spitamenis fuga, etsi primariis auctoribus Aristobulo aut Ptolemaeo Lagi filio tribuenda sunt,[2] tamen verisimile est, hoc Aristobuli aut Ptolemaei fragmentum a Strabone inventum esse apud Posidonium.

Sequitur fragmentum Eratosthenis, quod est apud Berger. III B 63.

Cap. 9. § 1

Strabo Parthyaeam regionem memoriae tradit sub imperio Persarum cum Hyrcania in unam provinciam redactam fuisse. Aliam Herodotus exhibet rerum condicionem. Legimus enim apud Herodotum. III 93. Πάρθοι δὲ καὶ Χοράσμιοι καὶ Σόγδοι τε καὶ Ἄρειοι τριηκόσια τάλαντα· νομὸς ἑκτὸς καὶ δέκατος.[3] Parthos igitur Darius coniunxit cum Chorasmiis Sogdis Ariis. Hyrcanos vero, Orthocorybantios secutus Herodotum, Darius attribuit Mediae provinciae.[4]

Sed haud ita raro aliter satrapiae distributae sunt. Nam postea Parthos coniunctos fuisse cum Hyrcanis compluribus discimus locis scriptorum rerum Alexandri Magni. In pugna quidem apud Gaugamela facta Phrataphernes praeerat Hyrcanis Parthis Tapuris, atque idem appellatur satrapa Hyrcaniae et Parthyaeae apud Arrian. an. III 23, 4. Atque Alexander cum Dareo mortuo profecturus esset in Hyrcanos, satrapam Hyrcaniae et Parthyaeae nominavit Amminapen.[5] Qui nimirum non diu fuisse

[1] Conf. p. 19

[2] Conf. Arrian. an. IV 17.

[3] Ibi enim satrapiae enumerantur. E titulis, qui inventi sunt prope Behistan et Persepolim nihil concludere licet de satrapiarum condicione. Nam in iis gentes enumerantur, non provinciae a Dareo institutae. Conf. Krumbholz, De Asiae minoris satrapis Persicis p. 2 ss. Noeldeke, Gottinger gelehrt. Anz. [illegible] p. [illegible] ss. et eiusdem: Aufsätze zur pers. Geschichte p. 34.

[4] Herod. III 92.

[5] Arrian. anab. III 22, 1. Curt. Ruf. VI 4, 2.

videtur; nam post id temporis summum honorem fuisse[1] apud Phrataphernem intellegitur compluribus Arriani locis, qui sunt anab. III 28, 2; IV 7, 1; 18, 1; V 20, 7; VI 27, 3; VII 6, 4.

Curtius quidem Rufus VIII 3, 17 narrat, Phrataphérni ab Alexandro datas esse Hyrcaniam Mardiam Tapuriam, sed IX 4, 1 satrapam eum appellatParthorum. Quem post Alexandrum mortuum eandem provinciam retinuisse intellegimus Diodori Siculi loco qui est XVIII 3.

Quibus omnibus apparet, sub finem regni Persarum alium provinciarum ordinem fuisse atque primi Darei aetate, et hunc ordinem ad Hyrcaniam quidem et Parthyaeam quod attinet, receptum esse ab Alexandro Magno et Perdicca. Suo igitur iure Strabo dicit: „συνετέλει γοῦν μετὰ τῶν Ὑρκανῶν [κατὰ] τὰ Περσικὰ καὶ μετὰ ταῦτα τῶν Μακεδόνων κρατούντων ἐπὶ χρόνον πολύν."

Iam vero scimus, Posidonium egisse de Asiae satrapiis. Confer enim eius fragm. 59 apud Muell. Quare fortasse de Posidonio cogitandum est Strabonis in hac re auctore cum praesertim paullo post sequatur locus sine dubio haustus e stoici illius libris. Nam ea quae leguntur inde a verbis τοὔνομα δὲ ταῖς Ῥάγαις, cum iterum legantur apud Strab. I 3, 19. C. 60, facile est intellectu, haec non in ipsius Duridis libro inventa esse a Strabone sed apud Posidonium Rhodium citato Duride auctore.

Atqui inter ea quae Posidonii videntur esse, occurrit fragmentum Apollodori, quod ut supra, ex Posidonii libris petitum esse arbitror.

Ceterum Posidonii fragmentum pertinere puto usque ad finem paragraphi exceptis tamen ultimis illis verbis, quibus Marcia narratur a Catone tradita esse Hortensio Hortalo. Quod Strabonem ipsum Romae audivisse persuasum habeo. (cf. ἐφ' ἡμῶν.[2])

§ 2 et 3.

De primordiis regni Bactriani Graeci Parthorumque imperio condito pauca nobis nota sunt atque ea obscura,[3] quam-

[1] Scil. in Hyrcania.

[2] De Marcia a Catone tradita conf. Quinctil. III 5, 11. Lucan. II 338. Plut. Cat. min. 25. 52; Appian. bell. civ. II 99.

[3] A. v. Gutschmid: Gesch. Irans p. 30 ss.

quam Apollodorus Artamitenus peculiarem de rebus Parthicis librum composuit. Quem auctorem compluribus locis citat Strabo in rebus Bactrianis et Parthicis narrandis.[1] Neque dubium est, quin is quoque locus, de quo nunc quaerimus, ad hunc redeat primarium auctorem. Nam eum Ochum, cuius accolae hic dicuntur Parni Dahae, Ochum quem dixit Apollodorus esse iam supra vidimus. Confer etiam quae idem Apollodorus de provinciis quibusdam Bactrianis a Parthis occupatis narrat apud Strab. XI 11, 2 C. 516.

Curtius Rufus VI 2, 14 haec habet: «Tanais Europam et Asiam medius interfluit. Nec dubitatur quin Scythae, qui Parthos condidere non a Bosporo, sed ex Europae regione penetraverint.» Quae opinio unde orta sit facile intellegemus, si consideraverimus, comites Alexandri, cum ad Jaxartem venissent, hunc Tanaim esse putavisse. Quare Arrianus an. III 28 Dahas prope Tanaim flumen collocat. Itaque cum Tanais putaretur Asiam dividere ab Europa,[2] facile fieri poterat ut Daharum origo peteretur ex Europae regione. Fortasse etiam nomen Xandiorum fuit in causis. Strabo enim XI 8, 2 C. 511. — Posidonio, ut supra suspicati sumus, auctore — Daharum gentes enumerat Aparnos Xanthios Pissuros. Xanthiorum autem et Xandiorum nomina, nisi forte codicum solummodo vitio variata sunt, admodum sunt similia. Iam vero recte sensit Scheppigus, Posidonium «ad cognationem, quam ex gentium natura et indole primum concluserat, confirmandam» inquisivisse in eorum nomina. Neque tamen ignoro, hoc non satis esse causae, cur initium huius paragraphi putemus pendere a Posidonio. Sed accedunt alia, quibus Posidonius auctor indicetur. Nam Strabo postquam ex antecedente paragrapho, ubi Apollodori vidimus vestigia apparere, repetivit Scythicam Arsacis originem, memoriae tradit, alios Bactrianum dixisse Arsacem qui metu regis Diodoti patriam reliquisset. His similia narrat Justin XLI. 4, 8 paucis sane verbis atque iis obscuris: «Arsaces, grandem exer-

---

[1] XI 9, 1 C. 514; 13, 6 C. 524; 11, 1 C. 516 ss. XV 1, 3 C. 685/686.

[2] Arrian. an. III 3, 30, 8. Curt. Ruf. VII 7, 2 ss. Diodor. Sicul. I 55. Strab. I 4, 7 C. 65; II 4, 7 C. 106; 5, 26 C. 126; XI 7, 4 C. 509.

citum parat metu cum Seleuci tum et Diodoti Bactrianorum regis. Sed cito morte Diodoti metu liberatus cum filio eius et ipso Diodoto foedus ac pacem fecit.» Nam quid metuebat Bactrianum Diodotum, qui et ipse defecerat a Seleuco, nisi antea hunc quoque offendisset? Quod si cum eo simultatem contraxerat, in Bactriana fuerit necesse est. Quae cum ita sint, plane cum Justino consentit Strabonis auctor. Quod si constat eo magis arbitramur Strabonis auctorem esse Posidonium, cum praesertim |Posidonius testis vocetur in extrema paragrapho. Nam quod hoc demum loco nominatur auctor, nihil habet offensionis, cum haec sit consuetudo Strabonis iam ab alio notata.[1] Quod si Posidonius est auctor paragr. 3 denuo oritur ea quaestio, num Apollodori fragm., quod cognovimus supra, debeatur Posidonio. Neque abhorret a probabilitate Posidonium primum quidem Parthorum incrementum narrasse secundum Artamitenum Scythamque Arsacem ex eius auctoritate dixisse, tum aliorum opiniones protulisse. Tamen desunt certa argumenta, quibus necessario modo possit effici, hoc Apollodori fragmentum mutuatum esse a Posidonio. Sed cum supra (cf. p. 9) probabile nobis visum sit, Apollodori Parthica Straboni innotuisse per Posidonium Rhodium neque cetera Artamiteni fragmenta apud Strabonem servata huic opinioni obstent, hoc solum fragmentum excipere nolim. Ceterum de hac quaestione infra contexte quaeretur (cf. p. 34 ss.).

Cap. 10 § 1 et 2.

In definiendis terminis singularum Asiae regionum Strabonem pendere ab Eratosthenis ratione iam Bergerus sensit.[2] Neque tamen verisimile est hos terminos a Strabone exscriptos esse e libro Eratosthenis, sed potius credamus sumptos esse e tabula quadam geographica, quae utrum Eratosthenis fuerit an alius geographi, hoc uno loco diiudicari non potest. Zimmermannus quidem satis firmis argumentis ostendit[3] in occidentalibus regionibus orbis definiendis Strabonem niti tabula Eratosthenis a Posidonio aucta atque correcta. Quod ita contigit Zim-

[1] Zimmermann in Herm. v. XXIII p. 125.
[2] l. c. p. 246.
[3] l. c. p. 103 ss.

mermanno, ut ubicumque Strabo recederet ab Eratosthene, Posidonii probaret rationem apparere. Quo argumentandi genere nobis hoc loco uti propterea non licet, quod Strabo in Ariae terminis statuendis consentit cum Eratosthene. Hoc vero monendum est cum Bergero,[1] nonnullas regiones, quas Eratosthenes voluerat meridionales Asiae esse, a Strabone adnumerari septentrionali parti. Aria quidem ad septentrionalem Asiam pertinere Straboni videtur propterea, quod in ipsis Tauri montibus sita aëris natura septentrionalibus regionibus similior est quam meridionalibus.[2]

Ariae autem termini, ut supra diximus, exponuntur iidem, qui ab Erstosthene. Confer enim Eratosthenis fr. III B 23, ubi legitur : ἡ δὲ Βακτριανὴ τῇ τε Ἀρίᾳ πρὸς ἄρκτον παράκειται κ. τ. λ. Idem legitur apud Strab. XI 11, 1 C. 516. Quae deinde distantia dicitur inter Hyrcaniam esse et Ariam, hanc persuasum habeo partem esse illius viae ab Eratosthene descriptae, de qua supra diximus.

Ariam et Drangianam in unam provinciam redactam fuisse cum Strabo perhibet, recedit ab Herodoto, qui in tabula provinciarum supra commemorata testis est Ariam coniunctam fuisse cum Parthyaea Chorasmia Sogdiana. Drangae autem ab Herodoto eidem adnumerantur satrapiae, cui Thamanaei Sagartii Utii Myces insulanique maris Erythraei. Iam ut scriptores rerum Alexandri Magni comparemus, Arrianus an. III 21, 1 Barsaentem vocat satrapam Drangarum et Arachosiorum, Curtius VI 6, 36 Drangarum. Idem Arachosios ad defectionem excitasse narratur apud Curtium VIII 13, 3. Ariam vero solam tum temporis effecisse provinciam intelleges e compluribus locis Arriani an. III 8, 4; 25, 1, 5; 28, 2, Curtii VI 6, 13 et 20, Diodori Siculi XVII 78. Cui satrapiae praeerat Satibarzanes. Alexander autem hunc satrapiarum statum mutavit ita quidem, ut Ariam coniungeret cum Drangiana. Stasanori enim, qui Arsami successerat in satrapia,[3] addidit Drangianam.[4] Curtius sane VIII 3, 17 memoriae

---

[1] l. c. p. 246 et 318.

[2] Cf. II 1, 14 C. 72, 73; XI 1, 4 C. 490, 491; 12, 1 C. 520.

[3] Arrian. an. III 29, 5; IV 18, 1.

[4] Arrian. an. IV 18, 3; VI 27, 3. Curt. VIII 3, 17. Justin. XIII 4, 23.

tradit iam Arsamem praefuisse Drangianis. Quod cum pugnet cum Arriano, num verum sit, admodum dubito. Id vero constat, Ariam et Drangianam in unam satrapiam redactas esse ab Alexandro. Quae rerum condicio valebat etiam post Alexandri mortem, si quidem Perdiccas hanc provinciam teneri iussit a Stasanore,[1] Antipater Stasandro dedit.[2]

Videmus igitur, hoc quoque loco[3] a Strabone eum exprimi provinciarum statum, qui valebat sub regno Macedonum. Quare huius quoque loci auctorem duxerim Posidonium Rhodium.

Ceterum de Drangianae situ idem dicendum est, quod supra exposuimus de Aria. Nam quamquam partem Drangianae Strabo non ignorat adiacere meridionalis Tauri montibus, tamen eam addit septentrionalibus regionibus, propterea quod ‚τινὰ τῶν μερῶν καὶ τοῖς ἀρκτικοῖς πλησιάζοντα τοῖς κατὰ Ἀρίαν‘ habeat. Quod si provinciarum ille status exponitur ex fide Posidonii, idem sumendus est auctor huius partitionis e natura locorum magis quam e situ singularum regionum institutae.

Maior igitur huius paragraphi pars videtur ad Posidonium redire. Ita autem si iudicamus, idem staduendum est de paragrapho altera. Nam in initio huius paragraphi ea, quae in antecedente dicta sunt de Margiana, copiosius repetuntur.

Sunt tamen in utraque paragrapho nonnulla, quae videntur aliunde sumpta esse. Nam quae sunt utriusque paragraphi extrema iterum leguntur apud Strab. II 1, 14 C. 73: ἐν δὲ τῇ Μαργιανῇ τὸν πυθμένα φασὶν εὑρίσκεσθαι τῆς ἀμπέλου πολλάκις δυοῖν ἀνδρῶν ὀργυίαις περιληπτόν, τὸν δὲ βότρυν δίπηχυν. Παραπλησίαν δὲ λέγουσι καὶ τὴν Ἀρίαν, εὐοινίᾳ δὲ καὶ ὑπερβάλλειν, ἐν ᾗ γε καὶ εἰς τριγένειαν παραμένειν ἐν ἀπιττώτοις ἄγγεσι τὸν οἶνον, πάμφορον δ' εἶναι καὶ τὴν Βακτριανὴν πλὴν ἐλαίου. πλησίον τῇ Ἀρίᾳ παρακειμένην. Haec omnia ex eodem fonte fluxisse iam sensit Cascorbi.[4] Qui fons quis fuerit, apparet ex Strab. XI 11, 1

[1] Diod. Sicul. XVIII 3, 3. Justin. XIII 4.

[2] Diod. Sicul. XVIII 39. Arrian. success. Alex. 36.

[3] Cf. p. 24.

[4] l. c. Tantum concedo Cascorbio, reliqua concedere non possum. Nam ea, quae ap. Strab. II 1, 14 C. 73 pertinent ad Hyrcaniae fertilitatem, aliunde esse sumpta supra demonstrasse mihi videor. Cf. p. 11. ss.

C. 516. Ubi cum iisdem fere verbis praedicatur Bactrianae fertilitas, brevi post haec leguntur: καθ' ὅλου δέ φησιν ἐκεῖνος τῆς συμπάσης Ἀριανῆς πρόσχημα εἶναι τὴν Βακτριανήν; ἐκεῖνος autem est Apollodorus Artamitenus. Iam igitur dubium non est eum, quem supra excripsimus, locum vindicandum esse Apollodoro. Itaque in libr. XI cap. 10 Apollodorea inserta sunt iis, quae videntur ad Posidonium Rhodium redire. Quare haec quoque fragmenta putabimus a Strabone inventa esse apud stoicum illum philosophum.

Cap. 11, 1 et 2.

Bactrianam iisdem terminis inclusit Strabo, quibus Eratosthenes, id quod facile intelleges collato Eratosthenis fragmento III B 23.

Cuius regionis deinde fertilitatem praedicari ex auctoritate Apollodori Artamiteni et supra vidimus et alia ex causa apparet; nam si Strabo Apollodorum secutus argumentatur, Graecis illis, qui defecerint a Seleucidarum imperio atque in libertatem vindicarint Bactrianam, contigisse ut tantum sibi imperium pararent, propter fertilitatem regionis, dubitari non potest, quin eidem Apollodoro debeantur ea, quae antea de Bactriana frugum feraci dicta sunt. Apollodori igitur est tota paragraphus praeter ea, quae supra diximus a ratione Eratosthenis pendere.

Atque alteram paragraphum, qua absolvitur de Graecorum illorum regum opulentia, eidem apparet auctori tribuendam esse, praeterquam quod Sogdianorum Bactrianorumque terminus ponitur Oxus, Sogdiorum et vagarum gentium Jaxartes secundum Eratosthenem. (Confer enim Eratosth. fr. III 63.)

Itaque, ut aliis locis Apollodorea cum doctrina Posidonii in unum corpus confusa sunt, ita hoc loco circumdata sunt fragmentis Eratosthenis, atque ut illis locis Apollodori fragmenta suspicati sumus Posidonio deberi, idem hoc loco statuerimus, ita tamen ut non solum Apollodori verum etiam Eratosthenis fragmenta e Posidonii libris hausta esse sumamus. Cf. p. 18.

§ 3 et 8.

Car. Muellerus et Geyerus totam paragraphum III vindicant Onesicrito atque Geyerus quidem ei Onesicriti commentariorum parti, quae „ἐγκώμιον Ἀλεξάνδρου“ inscripta erat. Neque quidquam

obstat, quin Onesicriti commentarios putemus praesto fuisse Straboni, quippe qui dicat in l. II 1, 9 C. 70: Ὀνησίκριτος καὶ Νέαρχος καὶ ἄλλοι τοιοῦτοι παραφελλίζοντες ἤδη. καὶ ἡμῖν δ' ὑπῆρξεν ἐπὶ πλέον κατιδεῖν ταῦτα ὑπομνηματιζομένοις τὰς Ἀλεξάνδρου πράξεις. Tamen vereor ut hoc quidem loco ipsum Strabo exscripserit Onesicritum. Immo additis verbis, quae sunt τοῦτο μὲν οὖν ἀνεκτότερον καὶ τῷ Κείων[1] νόμῳ παραπλήσιον satis mihi videtur apparere, totum hunc locum fluxisse ex aliquo libro de variis gentium moribus conscripto, quod idem statuendum mihi videtur esse de paragrapho VII. Atque cum pars haud parva exemplorum a Strabone in his duabus paragraphis exhibitorum pertineat ad mortuorum cultum, facile quispiam possit adduci, ut Strabonis fontem esse censeat eundem Posidonii Rhodii librum, unde similia exempla a Cicerone et Sexto Empirico sumpta esse demonstravit Corrsenus. (De Posidonio Rhodio. Bonn 1878. Mus. Rhen. vol. 36 p. 506 ss.) Cicero enim in Tuscul. disp. I 45 haec habet: «In Hyrcania plebs alit publicos canes, optumates domesticos; nobile autem genus canum illud scimus esse, sed pro sua quisque facultate parat a quibus dilanietur eamque optumam illi esse censent sepulturam.» Et Sextus Empiricus in Pyrrh. hyp. III 227 idem refert hisce verbis: ‚Ὑρκανοὶ δὲ κυσὶν αὐτοὺς (scil. τοὺς ἀποθανόντας) ἐπιτίθενται βοράν.' Sed quem Strabo vult morem fuisse Bactrianorum, illi Hyrcanorum tradunt esse. Qua tamen re non refutatur illa opinio, immo firmari videtur, quod apud eosdem scriptores atque iisdem fere locis exhibentur alia exempla, quae paucis quidem mutatis occurrunt apud Strabonem in paragrapho VIII. Atque primum quidem versus illi Euripidei cum citantur a multis aliis scriptoribus, quos enumerat Nauckius ad Euripidis fr. 452, tum apud Ciceronem in Tuscul. disput. I 48 et apud Sext. Emp. in Pyrrh. hyp. III 230. Deinceps conferas Sext. Emp. Pyrrhon. hyp. III 228 p. 174 B, ubi narratur mos esse quorundam barbarorum, ut supra sexaginta annos natorum vescantur corporibus, eorum autem, qui ante initam hanc aetatem moriantur, corpora sepeliant.

---

[1] Sic recte emendavit Kramer. coll. Strab. X 5, 6 C. 486. Codd. habent: καὶ τῷ οἰκείῳ νόμῳ.

Haec omnia tantopere conveniunt cum Strabonis narratione ut pauca illa discrepare meo quidem iudicio parum referat. Iam si consentiunt in hac re Cicero Sextus Strabo, verisimillimum est, Posidonium adhibitum esse auctorem, cum praesertim addita sint verba tragici poetae, quorum Posidonium notum est amantissimum fuisse.

Ceterum qui narrantur a Strabone singularum gentium mores, omnes fere inveniuntur apud scriptores, qui scripserunt de rebus mirabilibus. Nicolaus quidem Damascenus in morum mirabilium collectione (fr. 119) et Valerius Maximus II 6, 12 memoriae tradunt barbarorum quorundam esse morem, ut natales hominum dies celebrent cum lacrimis, cum hilaritate exsequias.[1] Atque Aelianus v. h. IV 1 eadem exhibet de Derbicis atque Strabo.[2] Deinceps de iis, qui quam longissima studeant sibi capita parare, confer quae exstant apud Zenobium V 25.[3]

§ 4.

In Bactriana Sogdianaque ab Alexandro conditas esse urbes octo legimus apud Justin. XII 5, 12. Nam postquam absolvit de Alexandrea ad Tanaim condita, ita pergit: «In Bactrianis quoque Sogdianisque septem urbes condidit.» Strabo autem illam Alexandream cum ponat in Sogdianorum finibus,[4] octonarium numerum exhibens non differt a Justino.

Deinceps Cyropolim Curtius VII 6, 19 narrat deletam esse ab Alexandro quamquam invito: «Statuerat autem parcere urbi conditae a Cyro; quippe non alium gentium illorum magis admiratus est, quam hunc regem et Semiramin, quos et magnitudine animi et claritate rerum longe emicuisse credebat. Ceterum pertinacia oppidanorum iram eius accendit. Itaque captam urbem diripi iussit.» Dirutam esse urbem Arrianus quoque narrat; frustra autem apud hunc quaeras illa de Alexandro Cyri admiratore. Quare in hac quidem re Strabo videtur secutus esse Clitarchum.

---

[1] Cf. Zenob. V 25.

[2] Cf. Porphyr. de abstin. IV 21. De Siginnis similia atque Strabo profert Herod. V, 9. Sed cum plura praebeat Strabo quam Herodotus, non licet cogitare de Herodoto Strabonis auctore.

Cf. Hippocr. de aer. loc. et aq. I 550 ed. Kuehn.

[4] Cf. Plin. n. h. VI 49.

Petrae, quae narrantur in Sogdianis Bactrianisque captae esse ab Alexandro, saepius inter se commutantur a scriptoribus rerum Alexandri.[1] Ei enim petrae quae sita erat in Sogdianis cum a Strabone et Curtio[2] narretur praefuisse Ariamazus, ab Arriano an. IV 18, 4 dicitur praefectus fuisse Oxyartes. Altitudinem autem huius rupis fuisse triginta stadiorum consentiunt Strabo et Curtius VII 11, 1. In altera illa petra Oxyartae filiam captam esse vult Arrianus an. IV 19, 4; Curtius[3] autem secus narrat de primo Roxanae et Alexandri conventu. Strabo igitur, sive eius auctor, et Aristobulum videtur usurpasse et Clitarchum. Quod vel inde cognoscitur, quod dixit : καὶ τὴν ἐν τῇ Σογδιανῇ τὴν τοῦ Ὤξου, οἱ δ' Ἀριαμάζου φασί. Pro Ὤξου enim scribendum est Ὀξυάρτου cum minime apta sit Oxi significatio. Qua emendatione facta Aristobuli sententia et Clitarchi opponuntur.[4]

De Branchidarum proditione atque poena idem fere, quod Strabo perhibet Curtius VII 5, 28. Neque tamen certa ratione inde licet colligere, huius rei auctorem Straboni fuisse Clitarchum. Nam verisimile est, eandem rem narratam esse ab aliis scriptoribus rerum Alexandri. Tamen quod in antecedentibus cognovimus Clitarchi vestigia, probabilius est, extremam quoque paragraphum deberi eidem auctori.

§ 5.

Polytimetus amnis oleique fontes prope Ochum inventi narrantur ex auctoritate Aristobuli, cuius nomen citatur. Ad eundem redeunt haec : ῥεῖν δὲ τὸν Ὦχον οἱ μὲν διὰ τῆς Βακτριανῆς φασιν et illa : οἱ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἕτερον, συμβάλλειν δ' εἰς ἓν τὸ τοῦ Ὤξου ῥεῖθρον, πολλαχοῦ καὶ ἓξ καὶ ἑπτὰ σταδίων ἔχον το πλάτος, ut apparet ex iis, quae supra[5] disputavimus de Ocho Aristobuli. Alteram autem de Ocho sententiam a Strabone hoc loco exhibitam Polycleti esse demonstravimus in p. 14 ss. Iam si quaerimus, Strabo utrum hoc loco ipsorum Polycleti Aristobulique libros

---

1 A. v. Gutschmid, Geschichte Irans, p. 2, 2.

2 VII 11, 1.

3 VIII 16.

4 Cf. Arrian. an. IV 18 et Curt. VII 11, 1.

5 p. 13 ss.

volverit necne, illud videtur verisimilius esse, omnia haec fluxisse ex uno eodemque fonte. Quem fuisse librum Eratosthenis vel inde apparet, quod eius fragmento[1] concluditur totus hic locus, qui est de fluviis Sogdianis et Bactrianis.[2] In fine autem paragraphi de schoenorum varia magnitudine Strabo disputat ipse expertus.

§ 6.

Haec paragraphus praeter extrema, quae sumpta sunt ex Eratosthenis geographia,[3] fluxit ex ipsius Strabonis iudicio. Neque tamen dubium est, quin in formando hoc iudicio memor fuerit eorum, quae legerat apud Posidonium et Apollodorum, quibus recentioribus in his regionibus describendis nititur auctoribus. Nam cum dicit, στρατεῖαι δ' οὐ γεγόνασιν ἐπ' αὐτοὺς ἡμῖν γνώριμοι, nihil aliud significat nisi expeditiones in illas gentes factas nullas commemorari ab Apollodoro, qui „τοὺς ὑπὲρ τούτων Σκύθας γνωριμωτέρους"[4] sibi reddiderit.

§ 7.

In totius orbis, qui colitur, computatione utrum Strabo pendeat a ratione Eratosthenis an Posidonii, difficilior est quaestio atque pars illius, quam supra (ad § 6, 1) diximus ampliorem esse, quam ut hoc loco ad finem perduci possit. Tamen aliquid proficimus Apollodori testimonio in hanc computationem inserto. Quod Strabo aut apud auctorem invenerit aut ipse addiderit necesse est. Strabonem autem Eratosthenis aut Posidonii computationes ipsum emendasse et parum probabile est, et omnino ab eius consuetudine alienum. Quare cum de Eratosthene cogitare non liceat, reliquum est, ut Posidonium sumamus nixum auctoritate Apollodori Artamiteni, quem — ut supra ostendimus — recentissimum harum rerum auctorem praedicat, emendasse numeros Eratosthenis, id quod plane consentit cum ea ratione, quam ubique cognovimus intercedere inter Posidonium et fragmenta Apollodori apud Strabonem servata.

---

1 Apud Berg. fr. III B 69.

2 De octoginta illis parasangis cf. Neumann. in Herm. vol. 19. p. 179.

3 Berg. fr. II A 11.

4 Strab. I 2, 1 C. 14. Cf. p. 7 ss.

Singula enim fragmenta ‚Parthicorum', quae invenimus apud Strabonem, suspicati sumus a Strabone non ex ipsis Parthicis, verum e Posidonii aliquo libro sumpta esse. Quae opinio singulis locis prolata atque, quantum potuimus, probata num vera sit, nunc contexte quaeramus.

Atque primum quidem in memoriam revocanda sunt ea, quae disputavimus in pagina 9, ubi Strabo nobis visus est optimum rerum Hyrcanarum Bactrianarum Scythicarum auctorem Apollodorum praedicare secundum Posidonium Rhodium. Unde collegimus Apollodori Parthica Straboni innotuisse per stoicum illum philosophum. Firmatur haec coniectura eo, quod quamquam Apollodorus optimus a Strabone laudatur auctor, tamen illarum regionum descriptio maximam quidem partem, ut vidimus, nititur Posidonii Rhodii doctrina. Quod mirum esse noniam putabimus, si sumemus, a Posidonio ipso exscriptum esse Artamitenum.

Accedit quod, ubicumque Apollodori vestigia invenisse nobis videbamur, aut antecedunt aut sequuntur fragmenta Posidonii. Quod ut facilius perspici possit, fontes eorum, qui huc pertinent, locorum proponamus.

Strab.	XI 6, 2, 3	C. 507/508	Posid. Apoll. Art.
	» 7, 1	C. 508	» »
	» 8, 1, 2, 3	C. 510/511	Posid. Apollod. Art. Posid.
	» 9, 1, 2, 3	C. 514/515	Posid. Apoll. Art. Posid. Apoll. Art.
	» 10, 1, 2,	C. 515/516	(Eratosth.) Posid. Apollod. Art.
	» 11, 1, 2	C. 516/517	(Eratosth.) Apoll. Art. (Eratosth.)
	» 11, 7,	C. 519	Posidon. Apoll. Art.

Quodsi horum locorum nonnullis proxuma sunt fragmenta Eratosthenis, nihil impedit quin nostra stet sententia, cum sit verisimile, etiam Erathostenis, quae apud Strabonem sunt, fragmenta, magnam quidem partem deberi Posdonio.

Quae omnia cum ita sint, Apollodori fragmenta, quae apud Strabonem inveniuntur, sumpta videntur esse ex aliquo Posidonii libro, qui liber quis fuerit, iam restat ut quaeramus.

Atque Muellenhoffius quidem eum Strabonis locum, ubi nomen occurrit Celtoscytharum (XI 6, 2 C. 507), haustum esse arbitratur e Posidonii historiis, quibus narrabantur τὰ μετὰ Πολύβιον (cf. Muellenh. l. c. p. 169 ss. et p. 153 ss.). Quo-

cum loco cum iunctus sit ille, ubi ex sententia Posidonii (cf. p. 9) optimus rerum a Parthis exploratarum auctor praedicatur Apollodorus Artamitenus, sequitur huius scriptoris laudem fluxisse ex iisdem historiis, non vero ex eo opere, quod erat scriptum de rebus a Pompeio gestis. Id sane perpendendum est, numne idem locus fuerit in eo libro, qui erat „περὶ ὠκεανοῦ“. Atque profecto, argumentum quod attinet, in hoc quoque libro suum locum habebat. Tamen cum Apollodori fragmentorum longe maior pars versetur aut in rebus gestis enarrandis aut certe singulis regionibus locisve describendis, quae omnia abhorrent quam maxime ab argumento eius libri, qui erat de Oceano scriptus, haud dubito Posidonii *historiis* tribuere fragmenta Apollodori Artamiteni.

Posidonii autem historiae, quas supra diximus, pertinebant usque ad annum a. Chr. n. 96. (Cf. Muellenh. l. c. p. 153.) Iam vero in fragmentis Parthicorum nullam rem post id tempus gestam occurrere infra videbimus (cf. p. 46).

III.

Postquam absolvimus de fontibus, quibus Strabo usus sit in libri XI cap. 6-12, proxumum est ut ea, quae in hac quaestione cognovimus, Apollodori Artamiteni fragmenta, sub unum conspectum ponamus atque illustremus. Accedunt autem ad illa fragmenta unum, quod legitur apud Athenaeum, et duo aliis Strabonis locis servata. Haec autem duo ita sunt comparata, ut facile appareat ea repetita esse ex iis, quae iam supra invenimus, fragmentis. Nam quae leguntur Apollodori verba apud Strab. XI 13, 6 C. 524 et XV 1, 3 C. 685, nihil continent nisi quod iam ante dixerat Strabo XI 9, 1 C. 514 et XI 11, 1 C. 516.[1]

De rerum ordine in Apollodori Parthicis adhibito nihil certi affirmari potest. Neque enim ulli fragmento numerus libri, unde sumptum sit, adscriptus est praeter unum illud fragmentum, quod legitur apud Athenaeum XV 682. Quod si discimus sum-

[1] Vogelius, qui in dissertatione cui inscripsit: De fontibus quibus Strabo in libro XV conscribendo usus sit p. 48, Apollodorum Artamitenum sibi videtur deprehendisse apud Strab. XV 3, 12 C. 732, hanc opinionem veram esse nullis probavit argumentis.

ptum esse e quarto libro Parthicorum, parum adiuvatur quaestio, cum in eo nullius temporis insit significatio, et pro argumento in quolibet fere totius operis libro suum locum habere potuerit.

Quare cum fati iniquitate factum sit, ut verus rerum ordo in Parthicis narratarum iam statui non possit, singula fragmenta proponamus ex ordine singularum regionum, ad quas pertinent.

Variam lectionem, quam singulis fragmentis subscripsi, sumpsi e Krameri Strabone additis tamen aliorum virorum doctorum coniecturis post illos factis, quae memorabiles mihi visae sunt.[1]

Uncis inclusi sunt numeri collectionis Muelleri.[2]

Fr. 1. (1.)

Strabo II 5, 12 C. 118. Cf. p. 7 ss.

1. Ἀπήγγελται δὲ ἡμῖν καὶ ὑπὸ τῶν τὰ Παρθικὰ συγγραφάντων τῶν περὶ Ἀπολλόδωρον τὸν Ἀρταμιτηνόν, ἃ πολλῶν ἐκεῖνοι μᾶλλον ἀφώρισαν τὰ περὶ τὴν Ὑρκανίαν καὶ τὴν Βακτριανήν.

2. Ἀρταμιτηνόν Holsten. ad Steph. Byz. v. Ἀρτεμίτα. ἀρτεμείτην codd. Conf. Strab. XI 11, 1 C. 516, ubi *oz* praebent ἀτραμυτινός et XI 13, 7 C. 524, ubi recte ἀρταμιτηνός. — πολλῶν ἐκεῖνοι codd.: ἄλλων post πολλῶν addidit Cor.: τῶν ἄλλων Casaub.: emendaverim πολλῷ ἐκείνων clausulas verborum inter se commutatas esse ratus; nam ο et ω nihil fere differunt.

Idem fere legitur apud Strab. I 2, 1, C. 14. Cf. pag. 6 ss.

οἱ δὲ Παρθυαῖοι τὰ περὶ τὴν Ὑρκανίαν καὶ τὴν Βακτριανὴν καὶ τοὺς ὑπὲρ τούτων Σκύθας γνωριμωτέρους ἡμῖν ἐποίησαν, ἧττον γνωριζομένους ὑπὸ τῶν πρότερον.

Adde Strab. XI 6, 4 C. 508. Cf. pag. 6 ss.

1. ἡ δὲ τῶν Ῥωμαίων ἐπικράτεια καὶ ἡ τῶν Παρθυαίων πλεῖόν τι προσεκκαλύπτει τῶν παραδεδομένων πρότερον· οἱ γὰρ περὶ ἐκείνων συγγράφοντες καὶ τὰ χωρία καὶ τὰ ἔθνη, ἐν οἷς αἱ πράξεις, πιστότερον λέγουσιν ἢ οἱ πρὸ αὐτῶν· μᾶλλον γὰρ κατωπτεύκασι.

2. ἐκείνων: ἐκείνου Dilowxz (?).

[1] Varia lectio, quae pertinet ad fr. 8, benignissime mecum communicavit Kaibelius.

[2] Fragment. historicorum Graecorum vol. IV p. 309 ss.

DE SCYTHIS.

Fr. 2.

Strab. XI 7, 1 C. 508. Cf. p. 10.

1. τοὺς δ᾽ οὖν ἐν ἀριστερᾷ εἰσπλέοντι τὸ Κάσπιον πέλαγος παροικοῦντας νομάδας Δάας οἱ νῦν προσαγορεύουσι τοὺς ἐπονομαζομένους Πάρνους.

3. Πάρνους: Σπάρνους codd: Xyl. correxit. Conf. Apollod. Art. ap. Strab. XI 9, 2 C. 515; illud Σ arbitror non cum Casaub. e littera α corruptum sed dittographia factum. Conf. Ptol. VI 10, 2.

Fr. 3.

Strab. XI 8, 2 C. 511. Cf. p. 18.

1. ἐν ἀριστερᾷ δὲ τούτοις ἀντιπαράκειται τὰ Σκυθικὰ ἔθνη καὶ τὰ νομαδικὰ ἅπασαν ἐκπληροῦντα τὴν βόρειον πλευράν. οἱ μὲν δὴ πλείους τῶν Σκυθῶν ἀπὸ τῆς Κασπίας θαλάττης ἀρξάμενοι Δᾶαι προσαγορεύονται, τοὺς δὲ προσεῴους τούτων μᾶλλον Μασσαγέτας καὶ Σάκας ὀνομάζουσι, τοὺς δ᾽ ἄλλους κοινῶς μὲν Σκύθας ὀνομάζουσιν, ἰδίᾳ δ᾽ ὡς ἑκάστους· ἅπαντες δ᾽ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ νομάδες.

1. τὰ om. codd.: Cor. add. 4. Δᾶαι: Δᾶοι codd. cf. VII 3,12 C. 304; XI 7,1 C. 598 — προσεῴους o: πρὸς ἕω rw.

Quid scriptoribus rerum Alexandri visum sit de Dahis, supra vidimus.[1] Apollodorus Dahas collocavit ad mare Hyrcanium et inde usque ad Ochum fluvium.[2] Quorum gens erant Parni (fr. 2), iidem sine dubio, quos Strabo XI 8, 2 C. 511 Aparnos vocat. Ptolemaeo VI 10, 2 contra diversae gentes videbantur esse Dahae et Parni, finitumi tamen et utrique in Margiana incolentes. Quorum auxilio usus Arsaces Parthiam ingressus hanc regionem eripuit regno Seleucidarum. Conf. Apollod. apud Strab. XI 9, 2 C. 515. Atque ipsum Arsacem Daham fuisse placuit Apollodoro apud Strab. XI 9, 3 C. 515, alii Bactrianum eum volebant esse (ibid.). Cf. Justin. XLI, 4 qui narrat, cum ‚praedonum manu' Arsacem occupasse Parthiam. Quod de Scy-

---

[1] p. 10.

[2] ap. Strab. XI 7, 1 C. 508; 9, 2 C. 515.

this intellegendum esse apparet. Cf. enim Strab. XI 8, 3 C. 511. Vide quae de hac re exposuit Gutschmid, Gesch. v. Iran, p. 29 ss.

DE PARTHYAEA.

Fr. 4.

Strabo XI 9, 2 C. 515. Cf. p. 24 ss.

νεωτερισθέντων δὲ τῶν ἔξω τοῦ Ταύρου διὰ τὸ πρὸς ἄλλοις εἶναι τοὺς τῆς Συρίας καὶ τῆς Μηδίας βασιλέας τοὺς ἔχοντας καὶ ταῦτα, πρῶτον μὲν τὴν Βακτριανὴν ἀπέστησαν οἱ πεπιστευμένοι καὶ τὴν ἐγγὺς αὐτῆς πᾶσαν οἱ περὶ Εὐθύδημον. ἔπειτ' Ἀρσάκης ἀνὴρ Σκύθης τῶν Δαῶν τινας ἔχων τοὺς Πάρνους καλουμένους νομάδας παροικοῦντας τὸν Ὦχον ἐπῆλθεν ἐπὶ τὴν Παρθυαίαν καὶ ἐκράτησεν αὐτῆς. κατ' ἀρχὰς μὲν οὖν ἀσθενὴς ἦν διαπολεμῶν πρὸς τοὺς ἀφαιρεθέντας τὴν χώραν καὶ αὐτὸς καὶ οἱ διαδεξάμενοι ἐκεῖνον, ἔπειθ' οὕτως ἴσχυσαν ἀφαιρούμενοι τὴν πλησίον ἀεὶ διὰ τὰς ἐν τοῖς πολέμοις κατορθώσεις ὥστε τελευτῶντες ἁπάσης τῆς ἐντὸς Εὐφράτου κύριοι κατέστησαν· ἀφείλοντο δὲ καὶ τῆς Βακτριανῆς μέρος βιασάμενοι τοὺς Σκύθας καὶ ἔτι πρότερον τοὺς περὶ Εὐκρατίδαν, καὶ νῦν ἐπάρχουσι τοσαύτης γῆς καὶ τοσούτων ἐθνῶν ὥστε ἀντίπαλοι τοῖς Ῥωμαίοις τρόπον τινὰ γεγόνασι κατὰ μέγεθος τῆς ἀρχῆς· αἴτιος δ' ὁ βίος αὐτῶν καὶ τὰ ἔθη τὰ ἔχοντα πολὺ μὲν τὸ βάρβαρον καὶ τὸ Σκυθικόν, πλέον μέντοι τὸ χρήσιμον πρὸς ἡγεμονίαν καὶ τὴν ἐν τοῖς πολέμοις κατόρθωσιν.

1. ἄλλοις: ἀλλήλους loz: ἀλλήλοις codd. rell. et z in margine. Correxit Thyrwhitt. probantibus Kramero Meinekio Gutschmidio, Gesch. v. Iran, p. 29 a. 1.-5. Δαῶν Xyland.: δατίων codd. Cf. Strab. VII 3, 12 C. 304. XI 7, 1 C. 508; 9, 3 C. 515.

Fr. 5.

Strabo XI 9, 3 C. 515. Cf. p. 24 ss.

ἀπὸ τούτων (scil. τῶν Δαῶν) δ' οὖν ἕλκειν φασὶ τὸ γένος τὸν Ἀρσάκην.

Fr. 6. (2.)

Strabo XI 7, 3 C. 509. Cf. p. 15 ss.

οὐ πάνυ δὲ ὑπὸ τῶν παλαιῶν ὁ Ὦχος ὀνομάζεται. Ἀπολλόδωρος μέντοι ὁ τὰ Παρθικὰ γράφας συνεχῶς αὐτὸν ὀνομάζει ὡς ἐγγυτάτω τοῖς Παρθυαίοις ῥέοντα.

Unde videtur repetitum esse, quod legitur XI 8, 1 C. 510. 511, quantum quidem pertinet ad Ochum fluvium: καὶ ἡ ἔρημος, ἣν ἀπὸ τῆς Ὑρκανίας ὁρίζει ὁ Σάρνιος ποταμὸς πρὸς ἕω βαδίζουσι καὶ ἐπὶ τὸν Ὦχον.

Fr. 7.

Strabo XI 9, 1 C. 514. Cf. p. 24.

ἀλλὰ νῦν ηὔξηται (scil. ἡ Παρθυαία). μέρη δ' ἐστὶν τῆς Παρθυηνῆς ἥ τε Κωμισηνὴ καὶ ἡ Χωρηνή, σχεδὸν δέ τι καὶ τὰ μέχρι πυλῶν Κασπίων καὶ Ῥαγῶν καὶ Ταπύρων ὄντα τῆς Μηδίας πρότερον. ἔστι δ' Ἀπάμεια καὶ Ἡράκλεια, πόλεις περὶ τὰς Ῥάγας. εἰσὶ δ' ἀπὸ Κασπίων πυλῶν εἰς μὲν Ῥάγας στάδιοι πεντακόσιοι, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος, εἰς δ' Ἑκατόμπυλον τὸ τῶν Παρθυαίων βασίλειον χίλιοι διακόσιοι ἑξήκοντα.

Strabo XI 13, 6 C. 524. (4.)

εἰσὶ δὲ καὶ Ἑλληνίδες πόλεις κτίσματα τῶν Μακεδόνων ἐν τῇ Μηδίᾳ, ὧν Λαοδίκειά τε καὶ Ἀπάμεια καὶ ἡ πρὸς Ῥάγαις <Ἡράκλεια> καὶ αὐτὴ Ῥάγα τὸ τοῦ Νικάτορος κτίσμα, ὃ ἐκεῖνος μὲν Εὐρωπὸν ὠνόμασε, Πάρθοι δὲ Ἀρσακίαν, νοτιωτέραν οὖσαν τῶν Κασπίων πυλῶν πεντακοσίοις που σταδίοις, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος <ὁ> Ἀρταμιτηνός.

2. Κωμισηνή: κωμεισηνή CDh καμβυσηνή y καμεισηνή codd. rell.: Tzsch. correxit coll. Strab. XI 14, 4 C. 528; Ptolem. VI 5, 1. Isid. Char. p. 2 ed. Huds. Plin. n. h. VI 44. 9) Ἡράκλεια: om. codd.: suppl. ex sententia Krameri Mein. coll. XI 9, 1 C. 514. — 10) Ῥάγα: ῥάγεια codd.: «fortasse ex aliqua Heracleae confusione orta» (Kramer) Cor. correxit ex sent. Casaub. coll. Steph. Byz. s. v., qui sua sumpsit ex hoc Strabonis loco. Minus aptum Kramero videtur quod coniecit Grosk. καὶ Ἡ[ράκλεια πρὸς] Ῥάγαις. 13) ὁ addidi. — Ἀρταμιτηνός: sic recte oz: ἀρτεμισηνός CDhir ἀρτεμησινός lxy. Kram. mira inconstantia modo scripsit Ἀρταμιτηνὸς modo Ἀρτεμιτηνός.

Fr. 8. (7.)

Athenaeus XV 682 c.

Ἀπολλόδωρος δ' ἐν δ' τῶν Παρθικῶν ἄνθος τι ἀναγράφει καλούμενον φιλάδελφον κατὰ τὴν Παρθικὴν χώραν, περὶ οὗ τάδε φησίν· καὶ μυρσίνης γένη ποικίλα μίλαξ τε καὶ τὸ καλούμενον φιλάδελφον, ὃ τὴν ἐπωνυμίαν ἔλαβε τῇ φύσει πρόσφορον· ἐπειδὰν γὰρ ἐκ

διαστήματος αὐτομάτως κράδαι συμπέσωσι, ἐμψύχων περιπλοκὴν ἐν τῷ . . . μένουσιν ἡνωμέναι, καθάπερ ἀπὸ ῥίζης μιᾶς, καὶ τὸ λοιπὸν ἀνατρέχουσι καὶ ζῳοφυτοῦσιν. διὸ καὶ τοῖς ἡμέροις φυλακὴν ἀπ' αὐτῶν παρασκευάζουσιν· ἀφαιροῦντες γὰρ τῶν ῥάβδων τοὺς λεπτοτάτας καὶ διαπλέξαντες [τε] δικτύου τρόπῳ φυτεύουσιν κύκλῳ τῶν κηπευμάτων· καὶ ταῦτα συμπλεκόμενα περιβόλου παρέχεται δυσπάροδον ἀσφάλειαν.

5. περιπλοκὴν: περιπλοκῇ CE: ἐν τῷ om. CE. — lacunam indic. Schweigh.: ἐν ταυτῷ coni. Cant.: ἐγγυτάτῳ C. Mueller. Kaibel desiderat περιπλοκὴν μιμούμεναι vel simile quid.

Illum Arsacem, qui in fragmento 4 narratur cum Daharum manu ingressus esse, Arsacem alterum cognomine Teridatem esse primus cognovit V. de St. Martin: Fragm. d'une histoire des Arsacides, p. 318. Eandem sententiam amplexi sunt Schneiderwirth, Die Parther nach griechisch-römischen Quellen, p. 9 ss., et Gutschmid: Gesch, v. Iran, p. 31. Aliter senserunt Lassen, Zur Geschichte der griech. und indoskyth. Könige, p. 220, Spiegel, Er. A. 3. p. 71 ss. Utrum Scytha fuisset Arsaces an Bactrianus parum constabat apud veteres. Conf. Strab. XI 9, 3 C. 515. Scytha videtur esse Apollodoro Artamiteno (fr. 4 et 5), Parthus Arriano (fr. 1). Alii Bactrianum eum fuisse memoriae tradiderunt. Conf. Strab. XI 9, 3 C. 515. Syncell. Chron. p. 539 ed. Bonn. De Ocho cum supra satis mihi multa verba fecisse videar, hoc loco nihil addendum est. — Parthorum incrementa iisdem fere verbis exhibentur apud Dion. Cass. 40, 14. Ceterum Parthorum fines usque ad Euphratem propagati sunt a Mithradate, qui regnum adeptus est circa annum a. Chr. n. 171 (Gutschm. l. c. p. 44). Conf. Justin. XLI 6. Curt. Ruf. VI. 2, 14. — Eam partem regni Bactriani, quam Parthi narrantur (fr. 4) eripuisse Scythis, Sinensibus narrationibus nixus et nummi cuiusdam inscriptione Gutschm. l. c. p. 71 docuit fuisse Margianam antea a Sacaraucis occupatam. — De reliquis provinciis Bactriani imperii, quas Apollodorus testis est a Parthis occupatas esse, infra nobis disputandum erit.

Iam ut accedamus ad fr. 7, quo tempore Comisene et Chorene subiectae sint imperio Parthorum, nullum veterum exstat testimonium. Probabilem de hac re coniecturam fecit Gutschm. p. 43 ss., qui id factum esse suspicatur intra annos a Chr.

n. 191-176. Mediae autem partem expugnavit Mithradates, de quo supra diximus. Conf. Justin. XLI 6, Gutschm. p. 52. De urbe Apamea conf. Isid. Char. p. 7 Huds. Plin. n. h. VI 14 Ptolem. VI 5, 3. (Ammian. Marcell. XXIII 6, 43.) Eustath. ad Dion. per. 918. De Heraclea: Plin. n. h. VI 14. Ptolom. VI 2, 16 (Ammian. Marc. XXIII 6, 39.) Aliam Heracleam significat Steph. Byz. s. v.: μεταξὺ Σκυθίας καὶ Ἰνδικῆς. De Rhaga vel Rhagis disputavit Droysen, Gesch. des Hellen. III 2, p. 319.

Num fr. 8 pertineat ad Parthyaeam, quae proprie dicitur, admodum dubium est. Ceterum cave ne gaudeas, a Naucratita proposita esse ipsius Apollodori verba, ita ut inde liceat iudicare de genere dicendi ab eo adhibito. Veri enim dissimillimum est, Athenaeo ipsa Parthica praesto fuisse, immo probabile, Apollodori illud fragmentum ab Athenaeo inventum esse in aliquo libro ad historiam plantarum pertinente.

Quae sint plantae ab Apollodoro commemoratae, vide Schweigh. ad Athenaei locum.

DE BACTRIANA.

Fr. 9. (5.)

Strabo II 1, 14 C. 73. Cf. p. 28 ss.

πάμφορον δ᾽ εἶναι καὶ τὴν Βακτριανὴν πλὴν ἐλαίου πλησίον τῇ Ἀρίᾳ παρακειμένην.

Strabo XI 11, 1 C. 516. Cf. p. 28.

πολλὴ δ᾽ ἐστι καὶ πάμφορος πλὴν ἐλαίου· τοσοῦτον δὲ ἴσχυσαν οἱ ἀποστήσαντες Ἕλληνες αὐτὴν διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας ὥστε τῆς τε Ἀριανῆς ἐπεκράτουν καὶ τῶν Ἰνδῶν, ὥς φησιν Ἀπολλόδορος ὁ Ἀρταμιτηνός, καὶ πλείω ἔθνη κατεστρέψαντο ἢ Ἀλέξανδρος, καὶ μάλιστα Μένανδρος — εἴγε καὶ τὸν Ὕπανιν διέβη πρὸς ἕω καὶ μέχρι τοῦ Ἰσάμου προῆλθε — τὰ μὲν γὰρ αὐτὸς τὰ δὲ Δημήτριος ὁ Εὐθυδήμου υἱὸς τοῦ Βακτρίων βασιλέως· οὐ μόνον δὲ τὴν Παταληνὴν κατέσχον, ἀλλὰ καὶ τῆς ἄλλης παραλίας τήν τε Σαραόστου καλουμένην καὶ τὴν Σιγέρδιδος βασιλείαν. καθ᾽ ὅλου δέ φησιν ἐκεῖνος τῆς συμπάσης Ἀριανῆς πρόσχημα εἶναι τὴν Βακτριανήν. καὶ δὴ καὶ μέχρι Σηρῶν καὶ Φαυνῶν ἐξέτεινον τὴν

ἀρχήν. [Strabo XI 11, 2 C. 516] πόλεις δ' εἶχον τά τε Βάκτρα, ἥνπερ καὶ Ζαριασπαν καλοῦσιν, ἣν διαρρεῖ ὁμώνυμος ποταμὸς ἐκβάλλων εἰς τὸν Ὦξον, καὶ Δάραψα καὶ ἄλλας πλείους· τούτων δ' ἦν καὶ ἡ Εὐκρατιδία τοῦ ἄρξαντος ἐπώνυμος. οἱ δὲ κατασχόντες αὐτὴν Ἕλληνες καὶ εἰς σατραπείας διῃρήκασιν, ὧν τήν τε Ἀσπιώνου καὶ τὴν Τουριούαν ἀφῄρηντο Εὐκρατίδην οἱ Παρθυαῖοι. ἔσχον δὲ καὶ τὴν Σογδιανὴν [ὑπερκειμένην πρὸς ἕω τῆς Βακτριανῆς μεταξὺ τοῦ τε Ὤξου ποταμοῦ ὃς ὁρίζει τήν τε τῶν Βακτρίων καὶ τὴν τῶν Σογδίων τοῦ τε Ἰαξάρτου].[1]

6. Ἀρταμιτηνός Cas. : ἀτραμυτινός οz, Ἀρτημιτηνός Cor. 8. Ἰσάμου codd. : Ἰομάνου Mannert : Geogr. V p. 295. coll. Plin. n. h. VI 21 : Ἰμάου Cas. probante Kramero. Σοάνου Cunningham Num. Chronic. X p. 220 ss. Σάμβου suspic. est Gutschmidius l. c. p. 104 n. 4 coll. Arrian. Ind. 4, 4. 13. Φαυνῶν codd. : Φρυνῶν emend. Tzsch. e sententia Bayeri et Vaillantii coll. Dion. per. 752 et Eustath. ad h. v. Conf. etiam Plin. n. h. VI 55, ubi Gutschmidius l. c. p. 45 recte emend. Phuni et Tocari. 15. ἐκβάλλων codd. recte; Meinekius : «ita libri ; vulgo ἐμβάλλων. Sed ἐκβάλλειν non memini fluvium dici nisi in mare influentem». Quare Meinekius proposuit εἰσβάλλων, sed falso. Nam codicum lect. tenenda est. Fugit virum doctissimum Ptol. VI 14, 4, ubi legimus : ἀφ' ὧν ῥέουσιν ὅ τε Ῥυμμὸς καὶ ἄλλοι τινὲς εἰς τὸν Ῥᾶ ποταμὸν ἐκβάλλοντες. Sic saepius a Ptolemaeo usurpatur subst. ἐκβολή. 16. Δάραψα codd. recte : Δάραψα Strabo XV 2, 10 C. 725. Δρέψα, Ptolem. VI 12, 6 ; VIII 23, 13 : Δράψακα, Arrian. an. III 29, 1.

Ex his Strabo XV 1, 3 C. 685/686 repetit : (6.)

Ἀπολλόδωρος γοῦν, ὁ τὰ Παρθικὰ ποιήσας, μεμνημένος καὶ τῶν τὴν Βακτριανὴν ἀποστησάντων Ἑλλήνων παρὰ τῶν Συριακῶν βασιλέων τῶν ἀπὸ Σελεύκου τοῦ Νικάτορος, φησὶ μὲν αὐτοὺς αὐξηθέντας ἐπιθέσθαι καὶ τῇ Ἰνδικῇ· οὐδὲν δὲ ⟨πλεῖον⟩ προσανακαλύπτει τῶν πρότερον ἐγνωσμένων, ἀλλὰ καὶ ἐναντιολογεῖ πλείω τῆς Ἰνδικῆς ἐκείνους ἢ Μακεδόνας καταστρέψασθαι λέγων· Εὐκρατίδαν γοῦν πόλεις χιλίας ὑφ' ἑαυτῷ ἔχειν.

4. πλεῖον ego addidi coll. Strab. XI 6, 4 C. 508 : πλεῖόν τι προσεκκαλύπτει τῶν παραδεδομένων πρότερον.

Non assentior Xylandro, qui in sequentibus pro ἐκεῖνοι scripsit ἐκείνους omisso γε. Obstat enim illud ἐναντιολογεῖ, quod probata hac emendatione haberet significationem : sibi ipse contradicit. Quare Apollodori fragmentum non per-

[1] Cf. p. 33.

duxi usque ad finem paragraphi. Quod si fecissem, Apollodoro vindicandus erat alius Strab. locus, qui est XV 1, 33, C. 700/701. Quem locum cum Vogelio tribuo Onesicrito.

His adde initium fragmenti quarti, quantum pertinet ad Bactrianae defectionem. — De regibus Graecis, qui in Bactriana regnaverunt, plura et accuratiora quam litteris discimus e nummis eorum haud ita paucis servatis. De quibus egit A. v. Sallet: Zeitschr. f. Num. VI p. 165 ss., p. 271 ss. VIII p. 279 ss. IX p. 158 ss. Per nummos autem et per Just. XLI 4 et Strab. XI 9, 3 C. 515 satis constat, primum illorum regum fuisse Diodotum.[1] Quem Apollodorus in fr. 4 significat verbis, quae sunt οἱ πεπιστευμένοι. Aliter interpretatus est Gutschm. l. c. p. 29 a. 1. Sed vereor ut recte. Euthydemus deinceps Bactrianae fines dilatavit subiectis finitumis regionibus. Quas regiones Lassenus l. c. p. 222. Ariam et Margianam fuisse inde colligit, quod teste Polyb. X 49 Euthydemus equestrium copiarum aciem prope Arium flumen instruxit contra Antiochum. De Euthydemi filio Demetrio, qui excidit e regno patris per Eucratidam et Indiae appellatur rex apud Just. XLI 6, conferas Lassen l. c. p. 225, Gutschm. l. c. p. 45 et 104. — Menandrum (fr. 9) Indiae fuisse regem probatur Trogi loco, qui est in prol. 41, et litteris Indicis, quae in nummis eius apparent praeter Graecas. Erravit igitur Plut. de re publ. ger. p. 821. Confer Lassen l. c. p. 225. A. v. Sallet. Z. f. Num. VI p. 320 ss., Gutschmid l. c. p. 104.

Quo tempore regnum Bactrianum portatum sit ad Seres Phaunosque, memoriae non traditum est. Probabilem de hac re coniecturam fecit Gutschm. l. c. p. 44 ss., ubi etiam de Indiae provinciis ab Apollodoro commemoratis disputat. Ne de satrapiis quidem Bactrianis a Parthis occupatis aliud exstat testimonium nisi Apollodori. Conf. Lassen l. c. 222 ss. Gutschm. l. c. p. 49 ss. De numero urbium Bactrianarum vide quae disput. A. v. Sallet: Die Nachfolger Alex. u. die Griechen in Baktrien p. 3.[2]

---

[1] Hanc nominis formam exhibent nummi

[2] Z. f. Num. vol. VI p. 165.

Fr. 10. (3.)

Strabo XI 11, 7 C. 519 Cf. p. 33.

εἰ δ' οὖν ἀπὸ τῆς Ὑρκανίας ἐπὶ Ἀρταμίταν τὴν ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ στάδιοί εἰσιν ὀκτακισχίλιοι, καθάπερ εἴρηκεν Ἀπολλόδωρος ὁ ἐκ τῆς Ἀρταμίτης, ἐκεῖθεν δ' ἐπὶ τὸ στόμα τῆς κατὰ Πέρσας θαλάττης ἄλλο τοσοῦτόν ἐστι . . .

1. Ἀρταμίταν: Ἀρτεμισίαν E m ἀρτεμίσταν codd. rell.: Xyl. correxit. 2. ὁ om. codd., Cor. addidit. — ὁ ἐκ Ἀρταμίτης om. oz — ἀρτεμησίας C x. Αρτεμισίας codd. rell., Xyl. correxit in Αρτεμίτας et sic editores. Sed cur forma dorica?

Distantias inde ab Artamita computatas vidimus in Apollodori fr. 11 et apud Strab. XVI 1, 17 C. 744; quarum altera num et ipsa fluxerit ex Apollodori Parthicis, parum liquet.

Hyrcaniae describendae Apollodoro dabatur occasio, cum narraret expeditionem in Hyrcaniam factam ab Arsace II, a quo Hyrcaniam subiectam esse testatur Justin. XLI 4, 8. Conf. Gutschm. l. c. p. 33.

DE MARGIANA ET ARIA.

Fr. 11.

Strabo II 1, 4 C. 73. Cf. p. 28.

ἐν δὲ τῇ Μαργιανῇ τὸν πυθμένα φασὶν εὑρίσκεσθαι τῆς ἀμπέλου πολλάκις δυεῖν ἀνδρῶν ὀργυιαῖς περιληπτόν, τὸν δὲ βότρυν δίπηχυν. Παραπλησίαν δὲ λέγουσι καὶ τὴν Ἀρίαν, εὐοινίᾳ δὲ καὶ ὑπερβάλλειν, ἐν ᾗ γε καὶ εἰς τριγένειαν παραμένειν ἐν ἀπιττώνοις ἄγγεισ τὸν οἶνον.

Strabo XI 10, 2 C. 516.

εὐάμπελοι δὲ καὶ αὕτη ἡ γῆ· φασὶ γοῦν τὸν πυθμένα εὑρίσκεσθαι πολλάκις δυσὶν ἀνδράσι περιληπτόν, τὸν δὲ βότρυν δίπηχυν.

Strabo XI 10, 1 C. 516.

εὐοινεῖ δὲ σφόδρα ἡ γῆ· καὶ γὰρ ὁ οἶνος εἰς τριγένειαν παραμένει ἐν ἀπιττώτοις ἄγγεσι.

7. τριγένειαν Mueller. recte: τριγονίαν codd. — Cobetus Miscell. crit. p. 112 τριγονίαν etiam apud Strab. II 1, 4 C. 73 scribendum censet probante Cascorbio l. c. p. 2. — ὁ οἶνος i: rell. codd. om.

De Margiana regione vitifera conf. Plin. n. h. VI 46: «Sequitur regio Margiane apricitatis inclutae, sola in eo tractu vitifera.» De hac regione Gutschm. l. c. p. 71 interpretatus est illa verba, quae leguntur in fr. 4: ἀφείλοντο δὲ καὶ τῆς Βακτριανῆς μέρος βιασάμενοι τοὺς Σκύθας. Lassenus contra l. c. p. 222 Turiuan et Aspioni satrapias, quae dicuntur in fr. 9., suspicatus erat Margianam fuisse et Ariam. Rectius Gutschmid. l. c. 49 iudicat duas illas satrapias effecisse Ariam solam. Accedit ad argumenta a Gutschmidio prolata, quod Ariam sub imperio Parthorum divisam fuisse in duas provincias testis est Isidor. Charac. 8 ed. Huds.

IV.

DE APOLLODORI ARTAMITENI AETATE.

De Apollodori vita nihil nobis traditum est praeterquam quod et a Strabone et ab Athenaeo dicitur Artamitenus. Artamita autem urbs Parthorum erat memorabilis (Strabo XVI 1, 17 C. 744), quae teste Strabone a Seleucia aberat quingenta stadia aut, ut Isidoro Characeno placet (p. 5 ed. Huds.) schoenos quindecim, quibus stadia efficiuntur circa quadringenta quinquaginta, ab Hyrcania vero et sinu Persico teste ipso Apollodoro (fr. 11) stadiorum octona milia. Per mediam urbem, quae Isidori aetate appellabatur Chalasar (Isid. Char. p. 5 Huds.), fluebat Silla fluvius.

Qua aetate fuerit Apollodorus, cum nullo veterum testimonio constet, necesse est ut ex eius fragmentis computemus. Atque Clinto quidem in fast. Hell. v. III p. 557 collegit ex eo fragmento, quod exstat apud Strab. XV 1, 3 C. 685 (fr. 4), floruisse eum post a. a. Chr. n. 130, et Car. Muellerus (Fr. Hist. Gr. v. IV p. 309 ss.) eius aetatem terminat anno a. Chr. n. 140 et eo anno, quo Strabo conscripserit geographiam. Sed cum et Clinto et Muellerus haud recte iudicaverint de Eucratidae aetate, unde profecti sunt in definienda Apollodori vita, tota haec quaestio denuo instituenda est. Gutschmidio quidem auctore Eucratida interfectus est circa a. a. Chr. n. 155. Quare ex Eucratidae mentione id solummodo concludere licet, Apollodorum scripsisse post hunc annum. Sed in fragmentis alia occurrunt

indicia, quibus multo recentius significatur tempus. Discimus enim e fragmento 4, Apollodorum scripsisse postquam Parthorum imperium dilatatum est usque ad Euphratem, id quod factum est circa a. a. Chr. n. 139.[1] Margianam deinceps occupatam esse a Parthis haud multo ante a. 128 satis firmis argumentis ostendit Gutschmidius l. c. p. 128. Quod si cum Gutschmidio de hac occupatione intellegimus Apollodori illa verba, quae sunt in fragmento 4: ἀφείλοντο δὲ καὶ τῆς Βακτριανῆς μέρος βιασάμενοι τοὺς Σκύθας, Apollodorus fuerit necesse est post id temporis. Sed cum etiam Menandrum, quem Gutschmidius[2] arbitratur regnasse intra annos a. Chr. n. 125-95, commemoret Parthicorum auctor in fr. 9, primi ante Christum saeculi initio assignandus esset Apollodorus, nisi recentiorem eum fuisse aliis effici posset argumentis. Animadvertendum enim est, quod Strabo I 2, 1 C. 14 haec habet: γνωριμωτέρους ἡμῖν ἐποίησαν ἧττον γνωριζομένους ὑπὸ τῶν πρότερον et rursus II 5, 12 C. 118: ἀπήγγελται δὲ ἡμῖν, quae omnia ad Apollodorum pertinere supra demonstravimus. Tales autem Strabonis locutiones omnes viri docti, qui de ipsius Strabonis aetate egerunt, suo iure ita sunt interpretati, ut quaecumque Strabo dicit „πρὸ ἡμῶν", esse facta, ante Strabonem natum, quae vero „καθ' ἡμᾶς" vel „ἐφ' ἡμῶν", Strabone iam tum nato explicarent esse gesta. Atque hac interpretatione, cum ne Strabo quidem quo tempore natus sit, ullo certo veterum testimonio constet, nititur tota Strabonis aetatis computatio. Atque ab eadem interpretatione nobis proficiscendum est. Nam si Strabo dicit γνωριμωτέρους ἡμῖν ἐποίησαν ἧττον γνωριζομένους ὑπὸ τῶν πρότερον h. e. „τῶν πρὸ ἡμῶν" et rursus ἀπήγγελται δὲ ἡμῖν καὶ ὑπὸ τῶν τὰ Παρθικὰ συγγραψάντων τῶν περὶ Ἀπολλόδωρον dubitari non potest, quin Parthica scriperit Apollodorus iam tum nato Strabone.

Cui opinioni apta omnino sunt ceterarum rerum tempora, quibus Strabo orbem terrarum praedicat notiorem esse factum. Nam duobus illis locis, ubi disputat de re geographica nuper aucta,[3] huius rei testimonia affert cum res a Parthis explora-

[1] Conf. Gutschm. l. c. p. 52.
[2] l. c. p. 104.
[3] I 2, 1 C. 14 et II 5, 12 C. 117/118.

tas litterisque mandatas ab Apollodoro Artamiteno tum alias quasdam nuper gestas, quae quales sint, iam videamus.

1. Nuper notiores dicit esse factas τοὺς περὶ τὸν Καύκασον οἷον Ἀλβανοὺς καὶ Ἴβηρας. (II 5, 12 C. 518.) Quae apparet ad Pompei expeditionem spectare in illas regiones factam. Asiaticum autem Pompei bellum confectum est anno a. Chr. n. 63.

2. Ibid. Βρεταννοὺς καὶ Γερμανούς. Utrorumque fines primus ingressus est Caesar anno a. Chr. n. 55. Commentarios autem Gallici belli, quibus Britannica quoque et Germanica expeditio narrantur, edidit Caesar a. a. Chr. n. 51. Conf. Teuffel, R. L. G.[3] 196.

3. τά τε πέραν Ἴστρου καὶ μέχρι Τύρα ποταμοῦ (I 2, 1 C. 14) et καὶ τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον τούς τε ἐντὸς καὶ τοὺς ἐκτὸς, Γέτας τε καὶ Τυρεγέτας καὶ Βαστάρνας.[1] Quae gentes accuratius cognitae sunt bello a Crasso contra Bastarnas gesto, quod ad finem perductum est a. a. Chr. n. 29.

4. Commemoratur Aelii Galli expeditio in felicem, quae dicebatur, Arabiam a. a. Chr. n. 24 suscepta. (II 5, 12 C. 118.)

5. I 1, 2 C. 14: οἱ δὲ Ῥωμαῖοι τὰ ἑσπέρια τῆς Εὐρώπης ἅπαντα μέχρις Ἄλβιος ποταμοῦ τοῦ τὴν Γερμανίαν δίχα διαιροῦντος (scil. ἀνεκάλυψαν). Imperium autem Romanum usque ad Albim fluvium prolatum esse a Druso a. a. Chr. n. 12 satis notum est.

Itaque omnes illae res, quibus Strabo affirmat orbem terrarum notiorem esse factum, gestae sunt intra annos a. Chr. n. 63 et 12. Atqui cum in eodem sententiarum conexu exhibeantur res a Parthis gestae litterisque mandatae per Apollodorum, satis mihi videtur apparere, eius Parthica sub idem fere tempus esse edita. Quae cum ita sint, recte nobis videmur e Strabonis illis locutionibus, de quibus supra egimus, conclusisse, Apollodorum Artamitenum aequalem fuisse Strabonis. Iam vero Strabo quo anno natus sit, viri docti non consentiunt. Grosskurdius[2] quidem Strabonem vult natum esse a. a. Chr. n. 66, Hasenmuellerus[3] 58, Niesius[4] 63, Meyerus[5] 68. Sed longe accuratissime

---

[1] II 5, 12 C. 117/118.

[2] p. XIII.

[3] Hasenm. De Strabonis geogr. vita Bonnae 1863.

[4] Herm. XIII, p. 33—45. Mus. Rhen. XXXVIII p. 567—602.

[5] Curt. Studior. v. II.

de hac re disputavit Niesius, quamquam nuper eum refutare conatus est Schroeterus. [1]

Qui contra Niesium affert Strabonis locum, qui est in l. XIV 5, 10 C. 673: μετὰ δὲ τὴν τούτων κατάλυσιν ἐφ' ἡμῶν ἤδη τὴν τοῦ Τεύκρου δυναστείαν ἐκάλουν. Agitur autem de Olbe urbe, quae cum Pompeius piratas expulisset e Cilicia, pervenerat sub potestatem domus sacerdotium, qui a Teucro originem ducebant. Bellum autem piraticum cum profligatum sit medio fere anno a. Chr. n. 67, Schroeterus contendit, iam tum natum fuisse Strabonem, eo scilicet, quem supra proposuimus loco pro argumento usus. Cui Schroeteri opinioni obstat alius Strabonis locus, qui est in l. VIII 7, 5 C. 387-388: δέδεκται δ' οἰκήτορας καὶ ἡ Δύμη μικρὸν πρὸ ἡμῖον ἀνθρώπους μιγάδας, οὓς ἀπὸ τοῦ πειρατικοῦ πλήθους περιλιπεῖς ἔσχε Πομπήιος καταλύσας τὰ λῃστήρια καὶ ἱδρύσας τοὺς μὲν ἐν Σόλοις τοῖς Κιλικίοις τοὺς δὲ ἄλλοθι καὶ δὴ καὶ ἐνταῦθα. Sed videamus, quomodo hanc difficultatem sibi removisse videatur Schroeterus: «Aber dieser Widerspruch wird sofort gehoben, wenn — was immerhin möglich — Strabo nach der Besiedelung von Dyme, aber vor der gänzlichen Beendigung des Seeräuberkrieges geboren ist.» Quod sumere minime licet. Dymam enim piratis assignatam esse toto bello profligato apparet et e verbis quae sunt οὓς ἀπὸ τοῦ πειρατικοῦ πλήθους περιλιπεῖς ἔσχε Πομπήιος et ex iis quae sequuntur: καταλύσας τὰ λῃστήρια καὶ ἱδρύσας τοὺς μὲν ἐν Σόλοις . . . τοὺς δὲ ἄλλοθι καὶ δὴ καὶ ἐνταῦθα. Cum Strabone autem consentiunt Plut. in v. Pomp. 28 et Appianus Mithr. 96. Quod si constat, colonos illos Dymam pervenisse confecto bello, et Strabo testatur, id factum esse, ‚μικρὸν πρὸ ἡμῶν', quomodo fieri poterat ut idem alio loco diceret piratas esse deletos ipius aetate? Quae difficultas statim removebitur, si modo recte interpretati erimus Strabonis verba. Schroeterus enim videtur ignorasse linguae Graecae legem illam, per quam non licet verba, quae sunt μετὰ δὲ τὴν τούτων κατάλυσιν ἐφ' ἡμῶν ἤδη ita interpretari, tamquam si legeretur μετὰ δὲ τὴν τούτων κατάλυσιν τὴν ἐφ' ἡμῶν ἤδη γενομένην. Immo illud ἐφ' ἡμῶν ἤδη coniungendum est cum verbo ἐκάλουν atque ita vertendum: ‚quibus deletis

---

1 Schroeter, Bemerk. zu Stbrao. Lisp. 1887 p. 1.

Teucri dicio nostra aetate appellari iam coepta erat' ut recte sensit Falconer.

Quod si corruit Schroeteri sententia, nihil obstat, quin cum Niesio putemus, Strabonem natum esse anno a. Chr. n. 63. Apollodorus igitur necesse est post id temporis ediderit Parthica.

Iam restat ut quaeramus, *ante* quem annum scripserit Apollodorus. Quodsi Posidonius in iis libris, qui ‚ἱστορίαι' vulgo vocantur, auctorem adhibuit Artamitenum (cf. p. 34 ss.), sequitur Parthica esse edita ante annum a. Chr. n. fere 49, si quidem Bernh. Seppius[1] recte arbitratur Posidonii historias esse compositas intra annos a. Chr. n. 49 et 44.

Igitur Apollodorus Artamitenus Parthica videtur edidisse intra annos a. Chr. n. 63 et 49.

[1] Blätter für das Bayer. Gymnasialschulwesen, vol. XVIII p. 398.